


A



638
—
—
—

—

ORATIO FUNEBRIS
DE VITA ET MOR-
TE... IOANNIS VITI...
SCRIPTA A BASILIO
FABRICIO ZIKZOUIANO
...
VITEBERGAE, 1576

RNK Akad 2. 4. ktár
(v. Refkoll. Klái)
(RMK 68 Számu Könyv)
Könyvtári száma

[SZABÓ KÁROLY
RMK III 658]



Oratio Funebris,

DE VITA ET MOR-

TE CLARISSIMI VIRI IOANNIS

VITI BALSARATII, ARTIS MEDICÆ DO-

CTORIS PERITISSIMI ET CELEBERRIMI,

atque Patachiensis Ecclesiæ Pastoris doctissimi ac

fidelissimi: scripta à Basilio Fabricio Zikzoufano,

Ludimagistro in Sarospatach, & recitata in confessu

frequentissimo dominorum Baronum, Nobilium,

ecclesiasticorum & politicorum ad solennes

funeris exequias congregatorum,

die 9 April, 1575.

ADDITVM EST PETRI

BEREXASII LECTORIS DISCI-

PLINARVM LIBERALIVM IN SCHOLA

Patachiensi, Epicedion eidem D. Ioanni Vito scri-

ptum, & publicè ad tumulum defuncti reci-

tatum, 24. die April. 1575.



VITEBERGAE

Excudebant Clemens Schleich & Anto-
nius Schöne.

ANNO M. D. LXXVI.



IN TVMVLVM RE
VERENDI ET DOCTISSIMI
VIRI D. IOHANNIS VITI
BALSARATII:

Dilectum Phæbo, CHRISTE in tua ca-
stra vocaras,
Esset vt hic Medicus corporis atque
animæ.

Ergo dum studio pariter mortalibus vno
Commoda, diuinis laudibus æqua facit:
Felix sorte sua viuet post funera VITVS,
Pæonia celebris gentis & artis honos.

Bartolemeus Schonborn amico ve-
teri καὶ συμφιλοσόφῳ F.



EPIGRAMMA IOHAN.
MAIORIS, D. IN ERVDITA
scripta Reuerendi & doctissimi vi-
ri Basilij Fabricij.

Carmine dum VITI mortem, & sermo-
ne soluto
Fabricij præstans indole Musa canit:
Reddidit huic vitam, & sibi pro mercede recepit
Famam, qua non est maius in Orbe decus.



IN CLARISS. ET DO-
CTISS. VIRI DN. BASILII FA-
BRICII &c. ORATIONEM DE IO-
hanna Vite Balsaratio V. CL.

Quamuis VITE tui laus nominis impleat oras,
Totius Europæ quæ sita regna iacent,
Nec quicquã cumulo adijciæ videatur honoris
Posse tui, implentis solis vtramq; domum:

FABRICII tamen hoc pietas effecit, vt omnis
Laus tibi iam duplici floreat aucta modo.
Nam gemina in precio sunt hæc encomia laudum
Dignum laude vehit cum bonus ipse virum.

Ergo fertis vterq; decus præstantius inde,
Tuq; recepte polo, Fabriciusq; tuus,
Quòd tibi ab illius pars maxima luce resultat,
Nec minus ipse tuo præco nitore micat.
Nam neq; te melius quisquam laudauerit alter,
Omnigenis quàm qui laudibus ipse viget:
Nec sibi Fabricius meliorem posceret vllum,
Quàm te, quem tantis euebat elogijs.

Pet. Albin. Niuemontius M.

De eodem Fabricio idem.

Quod fuit Elysij Trocedorsius ille; quod olim
Mysenis Plateanus erat; quod deinde peritus
Fabricius, quem voce refers cognominis: illud
Pannonijs docte es Fabrici. Tua nanq; paternis
Cura tot officijs iuuenes varia arte politos
Educat, armati quot/quo salière Pelasgo
Laomedontæe fora per Neptunia Troie.
Hoc virtutis opus, Patriæ tot gignere ciues,
Quorum præsidijs miseram fulcire ruinam
Possit, & afflictæ solari incommoda sortis;
Quorum, cum terris omnis spes penè videtur
Perdita, cælestem ductu sperare salutem
Ausit, ouansq; animis spe damna leuare perenni.
Macte animi infracta virtute & corpore macte,
O præstans Faber ingeniorum, & scripta diserta
Qui fabrices, tot carmina bella, ô tempore longo
Pannonijs vir clare tuis ô vine valeq;.

IN

IN FVNEBREM ORA
TIONEM REV. ET CL. VIRI BA
siliij Fabricij ad tumulum excel. viri D.
Iohannis Viti habitam.

Cum pietas VITVM radiantibus inserere astris
Vellet, & in celsa sede locare poli:
Tale decus Tellus cælestibus inuidet astris,
Sic mihi, ait, cælum lumina cuncta rapit?
Cui contrà Pietas: cælum ipsi patria vera,
Hospitium est tellus: hac caret, illud habet.
Sed VITI nomen terris post fata relictum est,
Fabricij vatis quod pia Musa canit.
Magna quidem VITO venit hinc laus, gloria maior
Fabricio, at nostræ maxima Pannoniæ.
Quare Fabricio tantum gens Vngara debet,
Meonio quantum Dorica terra seni.
Heroës, quos ante diem tulit inuidus æther
Pannoniæ scriptis reddidit ille suis.
Felix, cui licuit nitidas in luminis auras
Tam culta extinctos voce referre viros.
Qui VITO tribuit reparatæ munera vitæ,
Eloquio viuet tempus in omne suo.

ALIVD.

Qui laudes VITI venientibus inseris annis,
Facundisq; refers nomina sancta modis:

A 3

Te quoq;

Te quoq; Fabrici cœlestibus inferet astris
Musa tua, eximijs Musa probata viris,
Dumq; aliquod studijs nomenq;, decusq; manebit;
Clarus in ore piæ posteritatis eris.
Atque sequens debere tibi profitebitur ætas,
Ac erit in laudes officiosa tuas.
Pannoniæ Heroës reuocas quòd rursus ab umbris,
Virtutemq; horum morte carere facis.
Ac veluti sanctus decus indelebile **VITVS**
Adiecit Musis, vir venerande, tuis.
Sic etiam sancto decus indelebile **VITO**
Adijcis eloquio, vir venerande, tuo:
Materiem siquidem verborum gratia adæquat,
Mixtus & in versu est cum grauitate lepos.
Et nitor & nerui legem venere sub vnam,
Æthereæ siquidem semina mentis habent,
Fonte fluunt vno, nec distant finibus, ambo
Nominis æterni lumina clara ferunt.
Facundis virtus dat vires inclyta Musis:
Virtuti æternum dat pia Musa decus.
Iurè igitur **VITVM**, vir maxime, ad æthera tollis:
Imò, te Christi tollet ad astra fides.

Ge: Caesar discip.

ALIVD

ALIVD.

INuida cum Lachesis nomenq; genusq; vetustum
Extirpet, vitæ dura nouerca piæ:
Cumq; vorax crebrò plenas exhauriat vrbes
Pestis, & exitio sæpe laboret humus:
Ne simul intereat **VITI** cum stirpe **IOANNIS**
Nomen, & insignis cum pietate fides,
Et ne venturos lateat post nostra nepotes
Fata, viri virtus, eximiumq; decus:
Hæc pia facundi efficiunt monumenta libelli,
Quæ texis genio vir venerande bono.
In quibus egregiè cum rebus tempora gestis
Illius, & vitæ totius acta refers.
Quæis puer excultus studijs, quæ facta iuuentæ,
Quodue viro fuerit Pæonia arte, decus.
Gesserit in sancto senior se munere qualem,
Dum vigili exposuit scripta sacrata fide.
Et quàm sollicita semper contenderit arte,
Ne foret inferno grex suus esca Lupo.
Commoda quàmq; pio tulerit iucunda labore
Omnibus, auxilium qui petière suum.
Consilij fuerit quàm promptus acumine dextri,
Quo repulit magnis sæpè pericla viris.
Munifica quantum bonitate leuarit egentes,
Quamq; inopes largè pauert ille, doces.

Vnde

Vnde sequens totam poterit depromere vitam
Ætas, & clari discere fata viri.
Ergo licet tetro claudantur membra sepulcro
Ipsius, & lateat putre cadauer humo:
Quam tamen ista diu memorabit pagina nomen,
Is meliore sui parte superstes erit.
Famaq; cunctorum memori volitabit in ore,
Candide vir, scriptis nobilitata tuis.
Et tibi dum magni durabit fabrica mundi,
Semper apud gratos caussa fauoris erit.
Posteritasq; sequens sublimibus inseret astris,
Mandasti veris ista quod historijs.

Matthias Szegedinus discipulus.



MAGNIFICO DO-
MINO FRANCISCO DOBO
DE RVZKA, COMITI COMITATVS BAR-
sienfis, Domino in Szerednie, Palocz, Leua, &
Sarospatach, Domino & Patrono Mu-
sarum beneficentissimo.





RATIONEM FVNEBREM, QVA
viro clarissimo Ioanni Vito Balsaratio
cum incredibile bonorum omnium luctu
nuper ex hac Ecclesia, cui laudatissime
presidebat, ad beatissimam illam & æter-
nam cœlestis vitæ quietem euocato ut-
cunq; parentalia persolui, multis de causis in lucem publi-
cam emittere placuit. Quamuis enim latinæ dictionis, qua
in elaborando pertenui isto & impolito scripto vsus sum,
infantiam, ariditatem, & squalorem ipse omnium maxi-
me agnoscam: addo etiam compositionis asperitatem,
nullo specioso nitore & cultu exquisito luminum oratio-
nis conspectiorum variatam & distinctam, mihi præter
alios omnes ingrati & displicentem: ita ut criticorum
acerbiores censuras in alienis scriptis examinandis exer-
centium morositatem, & inclementiam non parum de-
beam pertimescere: tamen alijs rationibus, consideratio-
ne videlicet & cura, ut arbitror, attentiore expendendis,
animo meo obuersantibus, consilium præsentis editionis
nolui abijcere. Nullam namq; politè & eleganter dicendi

B

laudem

Pótlás



ORATIO FUNEBRIS
DE VITA ET MOR-
TE... IOANNIS VITI...

SCRIPTA A BASILIO
FABRICIO ZIKZOUANO

... VITBERGAE, 1576

RNH Akad. 2. 4. ktar

(v. Refkoll. ktai)

(RMK 68 Szamu Könyv)
Könyvtári sz. n.

[SZABÓ KÁROLY
RMK III 658]

loco ipsi obtigisset. Vbi ad puerilem ætatem peruenisset, & iam institutionis literariæ capax esse inciperet, à nobilissima & pientissima domina Anna Petri Iaxithij vidua, cuius in ditioe parentes habitauerant, ob memoriam virtutis & fidei paternæ in filium adoptatur, omniq; beneuolentia, studio & cura in literarum disciplina imbuendus atque fouendus assumitur. Mittitur ergo in scholam Iulensem, ceteris & viciniorem & frequentiore, vbi primis in rudimentis literariæ institutionis accuratè fuit informatus, pia & sollicita cura dictæ Heroine, quæ in felici etiam fœcunditate liberorum illustrium, Ioannem tamen ipsum peculiaris benignitatis & affectionis studio complectebatur, ac propter viuidum habilis, expeditiq; ingenij vigorem, atq; imprigram in obeundis dexterrimè ministerijs puerilibus omnibus solertiam & alacritatem, inprimis carum habebat & iucundum. Inde verò purior Euangelicæ doctrinæ lux paulatim, nostris in regionibus singulari Dei clementia postquam cepisset enitescere, viriq; pijs, sapientes, & docti superstitionum Papisticarum longa iam temporum stultitia inueteratarum impietatem & vanitatem, taxarent passim damnarentq; libere atq; acriter, prudens illa et ingeniosa domina renascentis veritatis initia salutaria arripuit auidè & alacriter: quin suæ quoq; ditioni subiectos populos, in emendatiore illa & probatiore celestis doctrinæ forma curauit, sedulo erudiri. Illis autem temporibus Illustris & Magnificus dominus Casparus Dragffius, offensionem regis Io-

annis,

annis, & Episcoporum purioris doctrinæ restitutionis hostiliter aduersantium nihil omnino veritus, patrocini-um piè & rectè docentium ministrorum præter ceteros Pannoniæ proceres, heroica animi generosi celsitudine & pietate egregia confidenter suscipiendo, tutum eis nidum liberalèq; hospitium præbebat in oppido suo Erdöd, vbi & arcem amplissimis redditibus opulentam possidebat. Ipsa ergo domina Iaxithia viros in diuinis literis exercitatos in ea Ecclesia atq; schola esse cum comperisset, qui pietatem Christianam non in ridiculis rituum monasticorum ijsq; superstiosis & impijs obseruationibus collocarent, sed in vera Dei agnitione, timore, fide, reliquisq; cultibus spiritualibus iuxta normam & præscriptum sacrarum literarum institutis, Ioannem quoque alumnum suum istuc ablegauit. Commendatus est ibi viro eximio Stephano Copacio, qui cum Matthia Deuaino, Andrea Batizio, & Emerico Ozoræo semina veritatis euangelicæ sub fida tutela & secura protectioe domini Dragffij strenuè spargebant, & tam ad populum, quàm ad scholam libros sacros leto cum applausu & gratulatione bonorum omnium, dexteritateq; mira, ac fructu auditorum non paruo enarrabant: veram, salutarisq; doctrinæ & consolationis plenam interpretandi scripturas rationem atque modum, ex Lutheri & Philippi Melanthonis quos Vitebergæ studiosè ipsi audierant enarrandi consuetudine, commonstrantes. Quatuor enim heroes isti nominati fuerunt primi instauratores doctrinæ emendatiore in

grabiensi, ceterisque eius provinciae nobilibus, quos miro
successu, & commendatione artis, atque solertiae in medi-
cando singularis, à periculosis morbis liberavit. Ad ex-
tremum peragratis celeberrimis quibusque Italiae Urbibus,
& cum nobilioribus eius terrae medicis contracta amici-
tia, cum iam expetitam patriae operam & fructu diutur-
nioris peregrinationis istius p[ro]p[ri]e posse confideret,
et alioqui voluntate patroni Spectabilis & Magnifici do.
Gabrielis Perenij reuocaretur, in Vngariam reuertitur
anno Christi 1560. atque in medicum priuatum eiusdem,
vnaque familiarem aulae & consiliarium asciscitur. Cuius
in aula octo continuos medicinam fecit annos, fide, vigi-
lantia, sedulitate, prudentia ac dexteritate summa, ut
à proceribus quoque & nobilibus provinciae istius omnibus
certatim & ambitiosè opera ipsius & medicatio expete-
retur, omniumque ordinum homines varijs iisque difficili-
bus morborum pressi angoribus atque afflictis, ad eius
tanquam Apollinis cuiuspiam aut Aesculapij opem &
auxilium cum certa spe recuperandae salutis & incolumi-
tatis amissae, ex remotis locis quotidie confluerent. Tan-
ta erat autem Ioannis Viti Balsarati in dignitate iam
ampla apud suum Principem & gratia multa florentis,
ad benemerendum de omnibus promptitudo, tam ardens
& propensum opitulandi studium, ut nullum omnino
quantumuis inopem & ærumnosum à sua ope repelleret,
nemini officium medicationis vnquam negaret, sed mu-
nifica cum bonitate & alacritate ad curationem admit-
teret

teret cunctos, mercedis vel pensionis prius persolvendae
nulla iniecta apud quenquam mentione. Non vnquam
magnatum, nobilium, ecclesiasticorum, ciuium etiam
opulentiorum quisquam ab ipso curatus est, quo cum pa-
cisci prius sustinisset certam operae & laboris sui mer-
cedem, vel cuius medicationi inchoatae adiunxisset aua-
rius conditionem de constituta aliqua pecuniae summa
ipsi dinumeranda, si ex morbo eger reualuisset. Quod
ditiores sponte & vltro offerebant, id quoque non sine mul-
ta recusatione & verecundia accipere solitum fuisse sae-
pius vidimus, instantius urgentibus illis, ne symbolum
gratificationis ipsorum, mutuaeque remunerationis pro re-
stituta incolumitate testimonium prorsus aspernaretur.
Et certè quantum lucri & compendij nunquam inter-
missa exercitatione artis medicae fecerit annos totos quin-
decim, quasque opes professio scientiae, ut putatur, ad rem
familiarem augendam fructuosissime ipsi pepererit, do-
cet rei domesticae supellex contractissima & egentissi-
ma, in qua certè & auri & argenti vel nihil vel parum
admodum visitur: Quin ad quotidianos familiae relictae
usus, necessarij paulo post sumtus desiderabuntur. Hic
enim vir cum genuina quadam naturae praestantissime
bonitate ad beneficentiam erga omnes quoquomodo ex-
ercendam duceretur, officium medicationum gratuitarum
liberalissimum pluribus certabat accumulare meritorum
accessionibus, ideoque morbis atrocibus languentes com-
plures tam plebeios quam ecclesiasticos, quin & ex nobi-
litate

litate paulò egentiores, qui se huc deportari valetudinis
causa curabāt, alimentis suis benignè pascebat, cibo potuq;
quotidiano affatim reficiebat. Et alioqui domus ipsius vt
inopum atq; egentium omnium commune receptaculum,
ac promptuarium benignissimum frequentabatur semper
à pauperibus & calamitosis hominibus. Familiam quoq;
domesticam, pio & laudabili exemplo beneficentiæ suæ,
assuefecerat ad promptitudinem in erogandis eleemosynis,
vt nemo inanis abiret, neq; exclusus repelleretur, quicumq;
stipem petiturus istuc accessisset. Iam cum gratia, fauore
& autoritate polleteret apud principem suum, plurimis
reis deprecatione & intercessione sua profuit, illis veniam
delictorum etiam grauiorum impetrauit, & plerisque
à certo capitis discrimine liberauit. Sic complurium ex
nobilitate, vt & subditorum ciuium, causam & patrocinium
promptissimo studio susceptum, cum illorum magna
gratia peregit. Et quod in primis laudem meretur atq;
celebrationem, suaforem se præbuit Principi suo, vt viros
doctrinæ, pietatis, & sapientiæ commendatione claros,
vndiq; sollicitè conquisitos, passim in scholis & ecclesijs
suæ ditionis collocaret, vt quàm florentissimas vtrasque
spectaret ijs ornamentis, quibus nihil est in hac vita præ-
stabilius, nihil pulcrius, nihil denique ad decorandam di-
gnitatem politicam magnificentius atque augustius. Per-
fecit quoq; vt iuuentutem literariam præsidijs liberalita-
tis & munificentiae suæ generosæ Princeps fouere ac tue-
ri pergeret, partim in scholis domesticis, partim in ex-
ternis

ternis Academijs necessarios sumtus suppeditando: ijs
nimirum qui præcipuam aliquam spem profectus olim
certioris & vberioris videbantur ostendere. Imò fundos
etiam certos, redditusq; nonnullos, vt schola ista Patachi-
ensis ab eodem domino Gabriele Perenis obtineret, ipsius
potissimum gratia, autoritate & sollicitatione primum
fuit effectum. Talibus & tam insignibus ornamen-
tis cum excelleret, in florentiq; fortuna & dignitate con-
spicius omnem suam facultatem qua pollebat, ad publi-
cam aliorum vtilitatem dirigeret, prodesse omnibus, no-
cere nemini studeret: Virtus tamen eximia sicut inui-
diæ improbis stimulis hostiliter impeti semper consuevit:
sic præstantissimum etiam virum istum indignissimè in-
sectari ausa fuit immerentem: virulentisq; morsibus
falsissimarum criminationum lacerare nomen clarissi-
mum nefario ausu conata est, atq; deformare dignitatem
impudentissimè. Sed spectata innocentia, probitas, fi-
des, virtus, & merita in omne genus hominum illustria,
sic gratia Principis florentissima, adeoq; stabilibus & in-
concuſsis rectè factorum fundamentis subnixâ honorifi-
ca existimatio, atque præclara apud omnes ordines auto-
ritas, deterſit facile labeculam commentorum nugacissi-
morum: suaq; ventosa futilitate & fucosa fallacia sta-
tim euanuerunt ac disparuerunt vocule inuidorum &
maleuolorum, qui alienæ claritatis radiantem fulgorem
ferre non poterant, ex obtreſtationeq; & deformatione
optimorum crescere conabantur, nulla ipsi vera virtute,

solidaq; laude commendabiles atque insignes. Sed testi-
monium innocentiae ipsius vitae probatissimae vel il-
lud unicum esse potest satis evidens & amplum, quod
Imperator ipse Maximilianus qui nunc Romani imperij
sceptra feliciter moderatur, ubi de virtute eximia, erudi-
tione, fide, industria, felicitate in depellendis graui-
morum morborum periculis admirabili, meritisq; Ioannis
in omnes summos pariter atque infimos quam plurimis,
ubi inquam certius & plenius edoctus fuisset, nobilitatis
arma & insignia decora vltro ipsi obtulit, & in honestis-
simum ordinem equestrem peculiari quadam gratia &
favore benignitatis suae luculentissimae eum transtulit.
Porro ubi dictus Princeps Gabriel Perenus anno Chri-
sti 1567. vitam suam Posonij clausisset, tantoq; & tam
munifico patrono orbatus fuisset Doctor Ioannes Vitus,
non desistebat tamen summis pariter & infimis promptè
& liberaliter communicare fidelem operam suam in me-
dicatione, quoties requirebatur. Saepe itinera longin-
qua tempestatibus gelidis atq; nimboris grassantibus, eti-
am cum manifesto periculo valetudinis, vitaeq; suae, non
recusabat suscipere, modò probare posset studium suum &
ardorem voluntatis beneficae dominis magnatibus, nobili-
bus, & amicis à quibus accersebatur. Non parcebat si-
bi, frigus & aestum iuxta ferebat, vectationumq; crebra-
rum duras molestias, & incommoditates tædiosas tole-
rabat patienter, in vrgenda perpetua consuetudine exer-
cendae beneficentiae, in suae & alienae etiam gentis homi-
nibus

nibus prompta semper & alacri opera deuinciendis. Labo-
res autem ipsius diuina benedictione feliciter aspirante,
minimè caruerunt salutaribus & optatis successibus:
dum sanitati celeriter restituit plerosq; diutinis & graui-
bus morbis affectos, & quidem subinde tales qui de vita
quoq; ipsa iam desperare ceperant: quorum multi nunc
quoq; cum grata praedicatione meritorum acceptorum vi-
tam & salutem ipsius beneficio sese tueri non dubitant
confirmare. Sic igitur vixit, vt quasi *κοινὸν ἀγαθόν* com-
modis & utilitatibus aliorum inseruiret atq; inuigilaret
semper, sua interim negligeret, longeq; curaret segnius &
indiligentius: reprehendentibus ipsum subinde amicis, ne
sic alijs tantum prodesse studeret, vt sibi noceret, suisq;
domesticis certum tandem negligentia ista curandae &
amplificandae rei familiaris (sicut etiam accidit) concilia-
ret dispendium. Porro vt non viuens solum meritis be-
nificentiae suae illustribus gentem Vngaricam cumularet
atque proueberet, sed ad posteritatem quoq; praecleari sui
erga popularium utilitates amplificandas studij moni-
mentum aliquod insigne relinqueret, in ista orbitate patro-
ciniij sui, vitaeq; priuatae secessu paulò quietiore pluscu-
lum otij nactus, quatuor libros de re medica in vsum chi-
rurgorum lingua vernacula conscripsit, ad rectiorem &
exquisitiorem curandorum morborum praxin illos infor-
mare conatus. Qui ipsi libri conuenientissima methodo
ad commoditatem empiricorum medicorum singularem
compositi si aliquando prodibunt, praepostera ista & te-
mera

Pötläs

VEGGE.



Te quoq; Fabrici cœlestibus inferet astris
Musa tua, eximijs Musa probata viris.
Dumq; aliquod studijs nomenq;, decusq; manebit;
Clarus in ore piæ posteritatis eris.
Atque sequens debere tibi profitebitur ætas,
Ac erit in laudes officiosa tuas.
Pannoniæ Heroës reuocas quòd rursus ab umbris,
Virtutemq; horum morte carere facis.
Ac veluti sanctus decus indelebile **VITVS**
Adiecit Musis, vir venerande, tuis.
Sic etiam sancto decus indelebile **VITO**
Adijcis eloquio, vir venerande, tuo:
Materiem siquidem verborum gratia adæquat,
Mixtus & in versu est cum grauitate lepos.
Et nitor & nerui legem venère sub vnam,
Æthereæ siquidem semina mentis habent,
Fonte fluunt vno, nec distant finibus, ambo
Nominis æterni lumina clara ferunt.
Facundis virtus dat vires inclyta Musis:
Virtuti æternum dat pia Musa decus.
Iurè igitur **VITVM**, vir maxime, ad æthera tollis:
Imò, te Christi tollet ad astra fides.

Ge: Caesar discip.

ALIVD

ALIVD.

INuida cùm Lachesis nomenq;, genusq; vetustum
Extirpet, vitæ dura nouerca piæ:
Cùmq; vorax crebrò plenas exhauriat vrbes
Pestis, & exitio sæpe laboret humus:
Ne simul intereat **VITI** cum stirpe **IOANNIS**
Nomen, & insignis cum pietate fides,
Et ne venturos lateat post nostra nepotes
Fata, viri virtus, eximiumq; decus:
Hæc pia facundi efficiunt monumenta libelli,
Quæ texis genio vir venerande bono.
In quibus egregiè cum rebus tempora gestis
Illius, & vitæ totius acta refers.
Quæis puer excultus studijs, quæ facta iuuentæ,
Quodviro fuerit Pæonia arte, decus.
Gesserit in sancto senior se munere qualem,
Dum vigili exposuit scripta sacrata fide.
Et quàm sollicita semper contenderit arte,
Ne foret inferno grex suus esca Lupo.
Commoda quàmq; pio tulerit iucunda labore
Omnibus, auxilium qui petière suum.
Consilij fuerit quàm promptus acumine dextri,
Quo repulit magnis sæpè pericla viris.
Munifica quantum bonitate leuarit egentes,
Quamq; inopes largè pauerit ille, doces.

Vnde

*Vnde sequens totam poterit depromere vitam
 Ætas, & clari discere fata viri.
 Ergo licet tetro claudantur membra sepulcro
 Ipsius, & lateat putre cadauer humo:
 Quàm tamen ista diu memorabit pagina nomen,
 Is meliore sui parte superstes erit.
 Famaq; cunctorum memori volitabit in ore,
 Candide vir, scriptis nobilitata tuis.
 Et tibi dum magni durabit fabrica mundi,
 Semper apud gratos caussa fauoris erit.
 Posteritasq; sequens sublimibus inseret astris,
 Mandasti veris ista quòd historijs.*

Matthias Szegedinus discipulus.



MAGNIFICO DO-
MINO FRANCISCO DOBO
 DE RVZKA, COMITI COMITATVS BAR-
 siensis, Domino in Szerednie, Palocz, Leua, &
 Sarospatach, Domino & Patrono Mu-
 sarum beneficentissimo.



RATIONEM FVNEBREM, QVA
 viro clarissimo Ioanni Vito Balsaratio
 cum incredibili bonorum omnium luctu
 nuper ex hac Ecclesia, cui laudatissimè
 præsidebat, ad beatissimam illam & æter-
 nam cœlestis vitæ quietem euocato vt
 cunq; parentalia persolui, multis de causis in lucem publi-
 cam emittere placuit. Quamuis enim latinæ dictionis, qua
 in elaborando pertenui isto & impolito scripto vsus sum,
 infantiam, ariditatem, & squalorem ipse omnium maxi-
 mè agnoscam: addo etiam compositionis asperitatem,
 nullo specioso nitore & cultu exquisito luminum oratio-
 nis conspectiorum variatam & distinctam, mihi præter
 alios omnes ingratham & displicentem: ita vt criticorum
 acerbiores censuras in alienis scriptis examinandis exer-
 centium morositatem, & inclementiam non parum de-
 beam pertimescere: tamen alijs rationibus, consideratio-
 ne videlicet & cura, vt arbitror, attentiore expendendis,
 animo meo obuersantibus, consilium præsentis editionis
 nolui abiicere. Nullam nanq; politè & eleganter dicendi
 B laudem

laudem & opinionem me captauisse, sed pietatis tantum
& obseruantiae defuncti pijs manibus debitae officiosam
commendationem ex huius editionis instituto quaesiuisse,
optimum mihi & grauissimum perhibebit conscientia, re-
ctissimae voluntatis religiosa comprobatrix, testimonium.
Et quidem causa, quae ad inuulgationem lucubratiunculae
istius praecipua me perpulit, virtutum fuit eximiarum vi-
ri praestantissimi vera admiratio, meritorumque amplissi-
morum, quae ex ipsius praecleara benignitate non tam er-
ga me priuatim, quam erga Ecclesiam, remque literariam
vniuersam redundarunt cumulatisimè, grata recordatio,
& iustissima aestimatio. Non enim solum heroicarum
virtutum, virorumque item insigni laude praestantium ho-
nestam concelebrationem Deus à bonis & pijs omnibus
exigit, suaque dona ampliora ad publicam generis humani
salutem singularibus quibusdam personis benignè collata
religiosa veneratione coli & magnificari praecipit: sed ali-
os quoque honorifica illa rectefactorum praedicatione, ad
generosam aemulationem consimilium operum ac meri-
torum societati ciuili salutarium vult extimulari. Huc ac-
cedit & gratiae mentis demonstratio, pietatisque testifican-
dae laudandum studium in ijs, de quibus viri donis sub-
limioribus cumulati fuerunt viuentes bene meriti, qui,
cum nullam mercedem pro exhaustis generoso & forti pe-
ctore aliorum causa laboribus & periculis expectare iam
possint, ista certè publicae laudis, quae vita functis exhibe-
tur, grata communicatione, solenniisque virtutis praeconio,
nequaquam videntur perfidè & malignè defraudandi.
Quòd autem ad rara & egregia decora personae istius,
quam hic celebrare studuimus, attinet, me parcio-
rem etiam fuisse & frugaliorem, quam res expetebat, in lau-
dibus eius & ornamentis percensendis, omnes candidi &

aqui

aqui aestimatores, quibus familiariter hic Vir notus fuit,
& qui affectibus malignioris animi seclusis omnibus, lege-
re & expendere ista volent, pronuntiabunt. Nam moro-
siorum austeriora iudicia, qui alienarum virtutum preco-
nia etiam moderatissima, longèque infra mensuram praes-
tantiae & dignitatis ipsarum posita, impatienter & odio-
se possunt tolerare: suas potius ad fallacem adulationem,
fucosamque gratiam confictas laudationes, cum titillatio-
ne quadam prurientium aurium auidissimè haurientes:
talium inquam inclementiores censuras si prorsus con-
temsero, iure perseuerauissè in sententia honestissima cele-
brandi post mortem Ioannem Vitum Balsaratum existi-
mabor. Atque ego quidem pium istud officium mortuo
illi non persolvere, citra nefariae peruersitatis crimen &
reprehensionem non potui, cum necessitudine illa, quae
inter nos plurimis ab annis feliciter coalescens, inuiolata
semper fide atque constantia ad extremum usque culta fuit
& conseruata, vix quicquam debuerit mihi esse antiquis-
us, sanctius, aut religiosius. Taceo eiusdem erga scho-
lam, iuuentutemque nostram literariam merita immortalia,
varijs usque luculentis officijs benignissimè communican-
dis, ad omnem priuatam & publicam necessitatem decla-
rata promptissimè atque comprobata: quibus sanè ipsis ali-
quam grati & memoris animi testificationem solennem
non rependisse, & cessante vita ipsius memoriam quoque
beneficiorum omnium statim pati exolescere ac interire,
ingenij fuerit extremè ingrati, illiberalis & sordidi, à nos-
trarumque literarum, quas tractamus, humanitate, & cul-
tu ciuiliore prorsus alieni & abhorrentis. Proinde, quò
rariores sunt & conspectiores dotes pietatis, sapientiae,
eruditionis literatae, virtutis, integritatis, beneficentiae,
aliorumque ornamentorum praeclearorum, quibus hic vir pre-

B 2

ter cae

ter cæteros alios multos in patria nostra calamitosa emi-
nuit: eò fœdior esset ac detestabilior ingratae mentis tur-
pitude & improbitas in tantis & tam insignibus ad lau-
dem virtutibus nulla debita prædicatione cohonestandis,
& exornandis. Sed non dubito quin præsentis istius in
officij alacri vsurpatione, causas iustas, graues, necessari-
as, minimèq; omnium futiles & repudiandas nos secutos
fuisse, omnes sinceri, honesti, & intelligentes iudices fas-
teantur: nosq; ab omni sinistra suspitione ostentatae im-
portunius vel ambitiosius facultatis dicendi, ad fugacem
tantum gratiæ popularis ventum colligendum, integros
& immunes candidè ac beneuolè conseruent. Iam ad
patronum scripti istius deligendum quod attinebat, tu ex
omnibus regni nostri proceribus, Illustris & Magnifice
Domine Francisce Dobo Mœcenæ colendissime, vnus
occurristi, ad quẽ in editione huius orationis, submissam
compellationem nostram putarem esse dirigendam.
Æquissimum enim fuerat, vt quem vnum propter com-
memoratas paulò ante præcellas ingenij, doctrinæ, beni-
gnitatis erga omnes, virtutumq; probatissimarum laudes,
omni honoris & obseruantia cultu velut alterum paren-
tem fuisti profecutus, quemq; vtriusq; medicinæ ad ani-
mæ & corporis fidelem salutaremq; curam pertinentis au-
torem & doctorem veneratus es incomparabilem: vt in-
quam verissimas eius virtutes dignissimaq; præconia,
quæ ad tumulum quoq; defuncti recitari à nobis audiui-
sti, tu primus & reminiscendo recognosceres, & autorita-
te præclari nominis tui à maleuolorum, si qui futuri essent,
liuida & calumniosa obtreccionem defenderes. Ad hæc
in societate etiam & communicatione mœroris acerbissi-
mi, quem toti Ecclesiæ, scholæ nostræ, mihi, domesticisq;
præsertim suis peperit mors festinata clarissimi viri Ioan-
nis Viti

nis Viti Balsarati, nescio an vllum parem habuerimus,
quem cum do. vestra Magnifica conferre possemus: tan-
to animi tristissimi dolore casum istum inauspicatissi-
mum, Ecclesiæq; & reipublicæ infaustam orbitatem tur-
listi: vt non dicam grauissimum illud tibi, & simul Do-
minæ matri Generosissimæ Saræ Suliok extitisse, quod
sacrata voce & institutione saluberrima Doctoris præ-
stantissimi, præter omnem expectationem & metum tam
repente spoliareris. Præterea sicut iactura ista irreparabi-
lis te, tuamq; ditionem (cuius nobile decus extiterat hic
vir, cuius obitum præproperum nunc deflemus) maximè
attingit: ita haud scio, an sarcire eam aliquis melius possit,
siue Ecclesiæ siue scholæ nostræ detrimentosam solitudi-
nem atq; orbitatem solari velit, præter do. vestram Ma-
gnificam, Dominamq; genitricem tuam Generosissi-
mam. In vestra quippe pietate, sapientia, religione, pro-
uida cura & vigilantia est positum, vt dispendio huic,
quod vel pauculis hæc iam diebus non leue sentit Pata-
chiensis ecclesia & schola, partim præside fidissimo,
partim curatore & parente benefico orbata, quam celerrimè,
& quidem cum certa spe stabilitatis eius solatiij quod
consequemur, consulatis. Et quidem si Dominam ma-
trem tuam religiosissimam & cordatissimam foeminam
Domine Magnifice audies, sicut nunc cum omnium lau-
de & prædicatione reuerenter & obsequiosè facis, eius-
demq; monitis fidelissimis, & amantissimis præceptioni-
bus morigerum te præbebis: non in cognitione tantum
pietatis, veræq; de Deo doctrinæ progressus facere maio-
res in dies conaberis, ob idq; de fideli & erudito docto-
re quam primum prospicere: sed scholæ etiam istius quæ
prouinciæ toti tuæ non postremum decus, & commenda-
tionem præcipuam conciliat, patrociniū & nutritio-

nem benignam constanter vrgere, imò amplioribus quoque gratiæ & liberalitatis tuæ accessionibus eam collocupletare & amplificare minime dubitabis. Habes autem à latere semper consiliorum tuorum & actionum omnium ducem, moderatoremque Generosum Dominum Franciscum Suliok, præter vetustam illustris generis nobilitatem, qua inclytam domum vestram Dobonianam proximè attingit, pietate, doctrina literata, prudentia, virtute, humanitate, beneficentia, multoque maximarum rerum usu, & negotiorum difficiliorum dexterrimè obeundorum felici experientia, meritisque non in familiam tantum Dobonianam, sed in patriam vniuersam innumeris, & ijs quidem illustribus, celebratissimum. Huic Nestori tuo consultissimo, rectissima quæque suadenti & præcipienti si parueris, sicut à prima inde pueritia fecisse prædicaris, non tantum præclara cum spe insistes vestigijs laudabilibus Illustris & Magnifici Domini Stephani Dobonis parentis tui, celebratissimi olim Capitanei Agriensis, & postea inclyti Vaiuodæ regni Transsylvanicæ, virtute bellica, rerumque pro salute patriæ fortiter ac feliciter gestarum gloria per totum orbem cantatissimi: sed certum eris tu quoque & fidum patriæ ad vltimum iam interitum præcipiti ruina tendentis præsidium & munimentum. Caterum vt munus istud literarium, quale solum ex penu scholastico nostro depromi potest, plenius haberet do. vestra Magnifica & luculentius, adiungitur cultissimum poema viri eruditissimi Petri Laurentini Berexasij, collegæ mei in hac schola amantissimi, lectissimis quibusque ex flosculis poeticorum hortulorum concinnatum, & contextum, ornamentis, copiosi et splendidi panegyrici instar, maxime conspicuis & illustribus distinctum atque expolitum, lectuque ob gratam amœnorum excursionum varietatem

tatem dignissimum. Qui ipse pro peculiari sua obseruantia erga Doctorem Ioannem Vitum Balsaratium, quem in vita superstitem sinceræ fidei studio semper, obsequiisque filialibus coluerat, hoc ipsum scriptum ad tumulum eiusdem publicè do. Vestra Magnifica præsentè recitatum, memoriæ eius & laudi sempiternæ religiosa gratæ mentis pietate consecrauit. Cuius sanè collegæ nostri in erudienda fideliter iuuentute scholastica sedulitatem ac vigilantiam, fructuososque labores, gratos esse & acceptos do. vestræ Magnificæ persuasum habeo, & hanc quoque publicationem scripti, sub auspicio nominis Generosi Domini auunculi tui, in conspectum hominum prodeuntis, nequaquam improbatum iri confido. Quod reliquum est, vt nos qui magnis certè multorum annorum sudoribus rem literariam pro viribus conamur in horribili ista vastitate, ruinisque patriæ deplorandis asserere: iuuentutemque simul optimarum disciplinarum studijs in hac schola impigre vacantem: vt inquam nos omnes liberali clementis affectionis tuæ patrociniò complectaris & in posterum, munificæque in nos voluntatis testimonia euidentiora & vberiora in dies exerere pergas magis ac magis, qua debemus animi deditissimi demissione à do. vestra Magnifica contendimus. Nos patrociniij tui illustris favore luculentiore, studioque benigniore non fuisse prorsus indignos, fructusque gratiosæ voluntatis in nos fouendos & ornandos quicumque redundauerint, non malè & inutiliter perdidisse, magis magisque in dies vt experiaris, perfecturos nos confidimus. Ad extremum vt domum familiamque afflictam Doctoris Ioannis Viti Balsaratij, in clientelam & beneficam tutelam do. vestræ Magnificæ, vltima morientis ipsius voluntate semel traditam & commendatam, vnâ cum Domina matre pietissima, clementis animi vultu be-

tu benigno & liberali significatione tuearis, foueas & protegas: quin ornes omnibus modis ac promoueas, deditissimorum obsequiorum meorum studio fideliter oblato, impetrare à do. vestra Magnifica contendo. Tantæ enim & tam asperæ sollicitudines concurrentium vndiq; curarum, & emergentium indies difficultatum ineluctabilium, ita repente domum Ioannis Viti mœstissimam circumuallauerunt & oppresserunt, vt nihil iam esse queat orphanis tantî viri paucos ante dies tumulati, miserius, nihil egentius, nihil ærumnosius. Ne igitur confirmatam ipsorum spem & fiduciam, quæ in tuam solius, Generosæq; dominæ genitricis clementem affectionem, curam & prouidentiam tota recubuit, frustrari patiatur do. vestra Magnifica: sed potius intolerabiles æumnas pupillorum, tuam vnus opem & fidem quotidianis votis implorantiû, assiduisq; ad Deum precibus salutem & incolumitatem domus vestræ vniuersæ adiuuantium, benignis & fauentibus oculis vt respiciat, demissa & sollicita deprecatione pro iisdem repetita, do. vestram Magnificam interpellare iterum non desino. Quod beneficium orphanis indignissimæ fortis calamitate oppressis & afflictis peropportunum & in primis necessarium, si (vt speramus) exorauerimus, familiæ Dobonianæ alioqui honoratissimæ & celeberrimæ pristina encomia, ex hac quoq; benignitate in miseros, omniq; officiosæ prouidentia cura & protectione orbatos vt amplificentur & extendantur magis ac magis, certò certius do. vestra Magnifica consequetur. Nos quoq; qui stationem adhuc nostram in docenda literaria iuuentute ex Dei bonitate mediocriter sustinemus, in vrgendò suscepto munere ærumnis & difficultatibus in dies crescentibus ingrauescente, assiduitatem & constantiâ seruentiorem præstare vt adnitamur efficies. Non dubia

dubia enim spe benefici & constantis patrociniî erga orphanos nostros, quos forte extinctis nobis relinquemus superstites, confirmabimur ex antea actis exemplis declarati affatim in nostri ordinis homines, fauoris propensi, curæ, & sollicitudinis, in exerendisq; necessarijs beneficentiæ fructibus promptæ benignitatis & prouidentia. Christus Iesus do. vestram Magnificam, dominam genitricem pientissimam, totamq; domum ab omni malo potenter tueatur diutissimè, rempublicamq; patriam paulò tranquilliolem & florentiorem nobis omnibus tandem cernere pro sua clementia concedat. Ex Sarospatach Calendis Septemb. 1575.

Do. vestræ Magnificæ

subiectissimus cliens

Basilii Fabricii Zikzouianus.



C

ORA



ORATIO FVNEBRIS,
DE VITA ET MORTE CLARIS-
SIMI VIRI IOANNIS VITI BALSARATII,
 artis medicæ Doctoris peritissimi & celeberrimi, atq; Pa-
 tachiensis ecclesiæ Pastoris doctissimi ac fidelissimi: scri-
 pta à Basilio Fabricio Zikzouiano, Ludimagistro in Sa-
 rospatach, & recitata in confessu frequentissimo domi-
 norum Baronum, Nobilium, ecclesiasticorum & politi-
 corum, ad solennes funeris exequias congre-
 gatorum die nona Aprilis,

1 5 7 5.

SI QUID ESSET IN ME IN-
 genij, corona auditorum nobilissima, &
 frequentissima, quod ipsum sanè ex imbe-
 cillitatis meæ cognitæ sensu & conscien-
 tia metior: aut si qua exercitatio dicendi,
 in qua cōfiteor minus quàm vellem, potuisse me ab ineun-
 te etate versari: si qua denique doctrinæ exquisitioris
 copia & elegantia, cuius etiam pertenuis & angusta ad-
 modum mihi facultas obtigit: eorum omnium fructum
 atq; officium iustissimo nomine nunc posset à me exigere
 Clarissimus vir Ioannes Vitus Balsaratus, ecclesiæ no-
 stræ Pastor & Inspector laudatissimus, parens autem
 meus & affinis omni honoris cultu & obseruantia studio
 prosequendus: cui ipsi inferias funebres, sicut pietas &

C 2

equum

[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through or a ghost image.]

Do. velle Magnificæ

subscribitur eius

Basilii Fabricii Zikzouiano
 manus



ORATIO

C

aequum postulabat, grata mente persoluturi, huc ex omni ordine conuenimus. Nam ut publica, eaq; plurima & maxima in ecclesiam, remq; literariam, imò patriam quoq; ipsam vniuersam merita taceam, quae certè ingrato & improbo silentio dissimulari atq; penitus obliterari non merentur: siue privatae necessitudinis, quae mihi religiosa & integra fide custodita multis ab annis cum ipso intercessit, iura antiqua repetam, siue etiam beneficia quibus cumulatus ab eo sum eximij, expendam, siue deniq; societatis recentioris, & consortij in communi ministerio sacram obligationem, foedereq; nunquam violabili confirmatam coniunctionem apud me excutiam: complures reperientur cause, eaq; grauissimae, quae silere me hac ipsa hora citra summum & enorme piaculum non sinunt: sed testificationem gratæ pietatis et constantis erga defunctū fidei requirunt, sinceræq; demum obseruantiae pignus, ac specimen studij amorisq; publicum efflagitant. Quae cum ita se habeant: non pauca tamen ex aduerso obijciuntur, quae à dicendo me plurimum absterrere, summamq; præstandi funebris istius officij difficultatem & sollicitudinem parere posse videntur. Primum doloris quem ex inauspicato isto & calamitoso funere præter multos alios capere debeo luctuosa acerbitas, non vocem tantum singultantem mihi intercludens, lacrymasq; verba inter singula vbertim exprimens: sed meditationis etiam alacritatem & vigorem pristinum retundens, adeoq; vim ingenij, si qua fuit, vniuersam frangens prorsus ac delibitans,

ut vel

ut vel initium querulae complorationis istius vnde sumere debeam, non possim mecum constituere. Auget animi consternationem, meq; vebementer perturbat, & pene exanimat cathedra quoque hæc funesta quam conscendi, locusq; mæstissima solitudine miserabilis, vnde verba facere cogor: qui cum quintum antè & sextum diem voce augustissima exultauerit. Pastoris nostri optimi, cum nostra omnium admiratione & applausu, stupenda Dei mysteria eloquij cultissimi suauitate inexplebili deprædicantis: nunc flebilibus contrà querelis inficitur, infaustisq; & inconditis lamentis polluitur, tacitè abominans, & non sine horrore quodam refugiens mæstæ orationis meæ istius lugubrem & tumultuariam querimoniam, requirens autem consuetæ antè vocis cum eximia grauitate temperatam iucunditatem, atq; vbertatis illius inexhaustæ vix vlli imitabilem eloquentiam. Huc accedit & argumenti suscepti dignitas atq; amplitudo, quae talis & tanta est, ut & ingenium acrius, & facundiam plenior, imò cultum quoq; orationis nitidior, & denique animū à curis, sollicitudinibus, atq; angoribus liberior, longiusq; paulum à luctu abductam mentem & cogitationem omnino desideret. Vnde vereri haud iniuria possum, ne dum præconia & laudes viri præstantissimi celebrare & amplificare conor, deteram potius & imminuam earum virtutum, ornamentorumq; splendorem atq; dignitatem, quae diuini muneris eximia benignitate ad hanc personam decorandam de qua dicere institui, cer-

tatim conspirasse videbantur. Sed quia aliquid omnino dicendum est, neq. sine graui scelere ingrati & immemoris animi silentium tenere tempore tam necessario permittitur, malo temeritatis & confidentiæ impudentioris subire morosam reprehensionem, quàm studij, obseruantie & pietatis debitæ multis nominibus, violare religiosum officium. Quod ipsum omnes qui adestis pro vestro insigni candore, & æquitate benigna iam olim multis documentis explorata, in optimam partem interpretaturos confido: cum præsertim, quanti viuum feceritis, quæ animi sinceri affectione, fide, & cultu eum obseruaueritis, vel nouissimi istius officij alacritate & promptitudine egregia, qua huc tam celeriter & studiosè ex tot ecclesijs atq. oppidis frequentes confluxistis, testatum facere luculenter voluisse videamini. Dicam autem vt in tanta luctus domestici mœsticia & acerbitate potero, de patria, natalibus, educatione, studijs, peregrinationibus, totaq. simul vita ac morte Ioannis Viti Balsarati: quantum ex familiaribus quondam ipsius colloquijs, per diuersas vices historiolum vitæ commemorantis recordari possum: hinc ad alteram partem orationis, quæ deploratiorem calamitatis politiarum, ecclesiarum & scholarum in his regionibus, miræq. paucitatis docentium, instauratis subinde funeribus fataliter deficientium continebit, progrediar.

Natus fuit Ioannes Vitus Balsaratus in prouincia inferioris Pannoniæ Transsylvaniam proximè respicientis,

cientis, Marusio & Chrysio fluminibus interclusa, rerum omnium ad victus copiosi & expediti facilitatem feracissima, commendationeq. ciuitatis incolarum, iusticiæ, integritatis, atq. ad omne genus officiorum promptitudinis & solertiæ multum celebrata, in oppido non ignobili, quod à templo extructo in editiore colliculo nomen sortitum Dombeghaz appellatur. Patrem habuit Lucam Vitum, spectatæ virtutis, fidei, & prudentiæ virum, cui Generosi domini cognomine Iaxithio quondam illustres, arcem quoque suam circa Themesarum positam, & Naglach vocitatum, ob exploratas sapientiæ, iusticiæ, integritatis, & industriæ ciuilibus dotes insignes, custodiendam, & seruandam tradiderant. Is in nominato prius oppido vbi certos fundos suos possidebat, à Turcis aliquando vna cum coniuge interceptus, filiolum Ioannem trium mensium infantem reliquit, postquam nec opinata hostium excursionem oppressus in tristissimam captiuitatem ex qua nunquam euasit, abreptus fuisset. Qui ipse Ioannes paruulus stupenda Dei prouidentia quomodo protectus tunc sit & seruatus, ex manifestoq. vitæ discrimine diuini numinis præsentissima virtute liberatus, libuit hic commemorare propter insigne exemplum præsentie & opitulationis sanctorum Angelorum, in vita & incolumitate ætatis tenerioris sollicitè propugnanda, adeoq. depellendis infantulorum periclitantium improuisis calamitatibus, nulla humana ope aliàs & industria auertendis. Turca ferox & barbarus cum terribili ex-

bili excursione oppidum iam dictum inuasisset, partim captis, partim immaniter contrucidatis miseris colonis, succensisque passim domicilijs ad maiorem terrorem vicinis incutiendum, ad prædam, & diripiendam fuga elapsorum incolarum suppellectilem domesticam vertitur. Ardentibus iam inimico Turcarum igne ips quoque ædibus, in quibus Ioannes infantulus parentibus tunc misere orbatus iacebat: ubi patente ostio animaduertit Turca media in domo eiulantem in cunis paruulum, festinato cursu per flammam irrumpens, correptum cum cunis ex incendio exportat, præcipitiq; iactu foras in mediam plateam proturbat, ne tenellus infans cuius solitudinis & innocentie feritas seuisissimi quoque barbari parcebat, cum ædibus iam iam igne fortius inualecente absumendis, conflagraret. Ibi sub euersis cunis, sicut barbarici officij truculentia tulerat, totum triduum delituit infantulus terræ affixus, expers omnis alimenti, cum metu Turcarum viciniam omnem igne & ferro furenter depopulantium, oppidani qui manus hostium euaserant, in oppidum sese non auderent recipere. Turcis postea digressis, reuersi incolæ inter iacentia passim iugulorum ciuium cadauera repertunt cunas subuersas, aliquot etiam ictibus gladio- rum Turcicorum saucias, quibus conati illi fuerant eas cum incluso vagitumq; lamentabilem edente puello, ex equis diffecare. Quas cum erexissent, spirantem adhuc & palpitantem deprehenderunt paruulum, tridui inedia, respirationisq; interceptæ angustia prope enectum. Tunc

patuit

patuit omnibus, trimestrem puellum, non ex intollerabili tantum inopia alimonie necessariae, sed aeris quoque quem vix vllum haurire potuerat interclusis meatibus, imò & cuniarum dorso proni incumbentium pondere debuisse interire, neque valuisse omnino tam diu superuiuere: nisi caelestium angelorum, quos Deus ad opem extremè periclitanti afferendam submiserat, vigilantibus ministerio, & fideli custodia fuisset in vita conseruatus. Hanc ipsam historiam vir religione & pietate commendatissimus non sine grata celebratione diuinæ erga se adhuc infantem bonitatis ac prouidentie repetere nobis frequentissimè consueuerat: primum quasi documentum & pignus auspiciatum paternæ illius clementie & benignitatis, cuius in adulta etiam ætate habuit testimonia non minus luculenta atque memorabilia, vt in sequentibus ordine docebimus. Ex tanto igitur & tam præsentis vitæ discrimine mirabiliter ereptus cum fuisset Ioannes Vitus, adeoq; Ecclesiarum, atque Reipublicæ patriæ tot & tam præclaris vsibus iam tunc diuinitus destinatus, orphanus iam & viduatus parentibus à Francisco Crispo auunculo benignè suscipitur educandus, adhibita fideli nutrice, quæ lactaret paruulum, matrisq; vicariam sustineret in ipso alendo caritatem & diligentiam. Cognomen Balsarati à pago Balsarat in quo enutritus fuerat, postea cum adolescere cepisset non inuitus vsurpauit, quasi ad retinendam dulcem memoriam nutritionis illius beneficæ, quæ dicti Francisci Crispi munificentia laudabili eo in

D

loco

loco ipsi obtigisset. Vbi ad puerilem aetatem peruenisset, & iam institutionis literariae capax esse inciperet, a nobilissima & pientissima domina Anna Petri Iaxithij vidua, cuius in ditione parentes habitauerant, ob memoriam virtutis & fidei paternae in filium adoptatur, omniq; benevolentia, studio & cura in literarum disciplina imbuendus atque fouendus assumitur. Mittitur ergo in scholam Iulensem, ceteris & viciniorem & frequentiore, vbi primis in rudimentis literariae institutionis accuratè fuit informatus, pia & sollicita cura dictae Heroinae, quae in felici etiam fecunditate liberorum illustrium, Ioannem tamen ipsum peculiaris benignitatis & affectionis studio complectebatur, ac propter viuidum habilis, expeditiq; ingenij vigorem, atq; imprigram in obeundis dexterrimè ministerijs puerilibus omnibus solertiam & alacritatem, imprimis carum habebat & iucundum. Inde verò purior Evangelicae doctrinae lux paulatim, nostris in regionibus singulari Dei clementia postquam cepisset enitescere, viriq; pij, sapientes, & docti superstitionum Papisticarum longa iam temporum stultitia inueteratarum impietatem & vanitatem, taxarent passim damnarentq; libere atq; acriter, prudens illa et ingeniosa domina renascentis veritatis initia salutaria arripuit auidè & alacriter: quin suae quoq; ditioni subiectos populos, in emendatione illa & probatiore caelestis doctrinae forma curauit sedulo erudiri. Illis autem temporibus Illustris & Magnificus dominus Casparus Dragffius, offensionem regis Ioannis,

annis, & Episcoporum purioris doctrinae restitutionis hostiliter aduersantium nihil omnino veritus, patrocini-um piè & rectè docentium ministrorum praeter ceteros Pannoniae proceres, heroica animi generosi celsitudine & pietate egregia confidenter suscipiendo, tutum eis nidum liberaleq; hospitium praebat in oppido suo Erdöd, vbi & arcem amplissimis redditibus opulentam possidebat. Ipsa ergo domina Iaxithia viros in diuinis literis exercitados in ea Ecclesia atq; schola esse cum comperisset, qui pietatem Christianam non in ridiculis rituum monasticorum ijsq; superstitiosis & impijs obseruationibus collocarent, sed in vera Dei agnitione, timore, fide, reliquisq; cultibus spiritualibus iuxta normam & praescriptum sacram literarum institutis, Ioannem quoque alumnium suum istuc ablegauit. Commendatus est ibi viro eximio Stephano Copacio, qui cum Matthia Deuaino, Andrea Batizio, & Emerico Ozoræo semina veritatis euangelicae sub fida tutela & secura protectione domini Dragffij strenuè spargebant, & tam ad populum, quam ad scholam libros sacros tanto applausu & gratulatione bonorum omnium, dexteritate mira, ac fructu auditorum non paruo enarrabant: veram, salutarisq; doctrinae & consolationis plenam interpretandi scripturas rationem atque modum, ex Lutheri & Philippi Melanthonis quos Vitebergae studiosè ipsi audierant enarrandi consuetudine, commonstrantes. Quatuor enim heroes isti nominati fuerunt primi instauratores doctrinae emendationis in

Ecclesijs Pannonicis, & profligatores impiarum abomi-
nationum Pontificiarum, quibus veritas diuina fœdissi-
mè conspurcata & abolita iacebat tunc immersa tenebris
densissimis errorum crassissimorum, atq; profanata præ-
stigijs corruptelarum teterrimarum. Traditus ergo Ioan-
nes puer doctissimo & sapientissimo viro Stephano Co-
pacio, & in primis ingenuarum artium fundamentis, &
in sinceræ, religiosæq; pietatis cognitione, fuit sollicita il-
lius cura, fideliquè diligentia institutus, non minore bene-
uolentia curatus & educatus, ac pene filij loco habitus.
Vnde cum ad gubernationem ecclesiæ Riuulinsis voca-
tus fuisset idem Stephanus Copacius anno Christi 1547.
non fuit passus à se diuelli Ioannem Vitum nostrum, an-
nos iam pubertatis egressum, sed assumtum vnà erudiri
perrexit omni fide & assiduitate, vt & in Latinis &
Græcis literis laudabiles progressus faceret, ac simul pie-
tatis, saniorisq; doctrinæ rudimenta, sicut ingenio erat
prompto, capaci & fideli, imbiberet. Tandem ad regi-
men Ecclesiæ istius Patachiensis accersitus anno Christi
1549 Stephanus ipse Copacius, adduxit secum & Io-
annem Vitum, cumq; & in schola ista latinas Græcasq;
litteras summa cum dexteritate & gratia is profiteretur,
& populum quoq; depulsa errorum Pontificiorum tristis-
sima caligine, ad lucem veritatis magis magisq; clare-
scentem, atque fulgorem sincerioris doctrinæ aspicien-
dum, concionibus publicis exuscitaret: Ioannes Vitus
quoque agens iam ætatis annum vicesimum in vtraq; lin-
gua ado-

gua adolescentiæ tradenda, fideliter & promptè adiuuit
præceptorem Stephanum Copacium, synergiam quan-
dam in hac Schola sustinens, multosq; qui adhuc viuunt
vtiliter erudiens. Vbi annum ætatis vicesimum secun-
dum attigisset, iamq; in Philosophicorum studiorum pri-
mordijs, linguarumq; Latine & Græcæ peritia omnes
coæquales suos facile anteiret, atq; inter exterarum etiam
Academiarum doctos Professores ac Magistros, auge-
scente paulatim ætate & maturescente iudicio laudabili-
ter & fructuose versari posse putaretur, Vitebergam fu-
it ablegatus. Subministrabat sumtum liberalem, illiq;
peregrinationi abundè sufficientē Anna Iaxith, filia do-
minæ Iaxith senioris iam defunctæ, cui in benigno pa-
trocinio, ac pia nutritione Ioannis Viti Balsaratijs, ve-
lut iure hæreditario se successisse illa existimans: susti-
nere curam eius quem mater filij loco dilexisset, ornasset
& promouisset modis omnibus, ad pietatem suam perti-
nere cogitabat, eumq; si desereret ad familiæ suæ illustris
infamiam non obscuram & certum dedecus vergere pos-
se iudicabat. Ibi cum pleniorē ac solidiorē cognitio-
nem liberalium doctrinarum linguarumq; adeptus fuisset,
cumq; maturitate ætatis iudicium quoque firmitus & ex-
quisitius in politiorib. disciplinis sibi comparauisset, Ma-
gisterij titulum suadente domino Philippo Melanbone
cui vnice carus erat & acceptus, assumpsit, agens iam an-
num ætatis vicesimum quintum. Hinc eiusdem Phi-
lippi (cui quod esset literis dominæ suæ peculiariter com-
menda-

mendatus, duce eo & moderatore studiorum præcipuo
utebatur) censuram & auctoritatem secutus, ad medici-
næ artis studium atq; culturam se applicuit, cum per statu-
ram paulò humiliorem, non posse tueri dignitatem ac re-
uerentiam personæ ecclesiasticæ ex publico suggesto do-
centis putaretur. Non neglexit tamen excolere & incho-
ata adhuc in prima ætate Theologiæ studia, cum singulis
diebus nonnihil temporis & ocij tribuit meditationi re-
rum sacrarum, studioq; cælestis doctrinæ, in cuius sola sci-
entia salutis æternæ adipiscendæ expeditam rationem
atq; normam infallibilem commonstrari certo intellige-
bat. Præfuit tunc multa cum laude & fructu governa-
tioni quoq; & censuræ exercitationum illarum scholasti-
carum, quas laudabili consuetudine ab hominibus nostræ
gentis olim Vitebergæ usurpata, in præcipuis Christianæ
religionis capitibus per certas theses ad disputationē or-
dinariam per vices proponendis, placidamq; atq; erudita
sententiarum argumentorumq; collatione examinandis
& discutiendis, plurimorum annorum successione conti-
nua, ex auctoritate & approbatione summi viri do. Phi-
lippi Melanthonis, cæterus nationis Ungariæ ad hunc us-
que diem utiliter consuevit frequentare. In argumen-
torum certè solutionibus, tam felix, promptus, solers &
acutus fuisse Ioannes ipse Vitus perhibetur, ut multi
quos studiorum istic habuit socios, ingeniosum acumen,
expeditum solertiam, & dexteritatem ipsius miram in ea
facultate nunc quoq; deprædicent. In barbarum, & stir-
pium

pium indagacione, vniuersaq; simplicium medicamento-
rum historia sic excelluit: ut paucissimos pares, vix
vnum vel alterum superiorem tunc haberet inter medi-
cæ artis studiosos in Academia Vitebergensi. Multos
tam in Germania quàm in Vngaria feliciter in ea cogni-
tione prouexit, ut nostrorum præsertim hominum pleriq;
acceptum illi vni referant, si quam consecuti sunt eiusce
facultatis scientiam & usum, quos inter nomen quoque
meum profiteri minimè erubesco. Duobus annis Vite-
bergæ post honorem Magisterij adeptum sic circumactis,
ut studia sacra cum medicis simul currerent, licet profes-
sio & tractatio Physicorum præcipua haberetur, Philip-
pus Melanthon granissimus ille ingeniorum æstimator
& censor literariæ eruditionis politissimus, scribit ad
Spectabilem & Magnificum dominum Gabrielem Pere-
nium, atque Ioannis Viti ingenium, studia, mores, erudi-
tionēq; diligenter commendans, autor est ut ad absoluen-
dam medicorū studiorum culturam is ablegetur in Italiā.
Ibi enim & propter inspectiones anatomicas crebriores,
& librorum etiam veterum, Hippocratis, Galeni, & Aui-
cennæ luculentiores enarrationes, imò praxin quoque cla-
rissimorum Medicorum in curando exquisitiorem, magis
nūc vigere creditur disciplinæ medicæ professio. Transijt
istuc Ioannes Vitus Balsaratus anno Christi 1556 per-
lustratis prius & peragratis nobilissimis quibusq; Ger-
maniæ & Heluetiorum Urbibus, familiaritateq; passim
in Academijs conciliata cum viris eruditissimis, Theolo-
gis pa-

gis pariter ac medicis. De quorum erga peregrinos nostræ gentis homines singulari humanitate, comitate, candore, in officijsq; hospitalibus exhibendis promptitudine ac beneficentia subinde meminerit: Heluetiorum præsertim in ecclesia Tigurina ministrorum mirificam benignitatem, atq; alacre studium in tractandis hospitibus prædicando. Peruenit ibi in amicitiam non eximiorum tantum Theologorum Henrici Bullingeri, & Petri Martyris, aliorumq; scholæ eiusdem celebriorum Professorum, sed Conradi quoq; Gesneri viri variarum rerum scientia & scriptione celebratissimi, à quo & in amplissimo illo de historia aquatilium volumine, aliquot in locis amica, & sanè honorifica mentione perornatur. Mansit quatuor integros annos partim Bononiæ, partim verò Patavij, sumtibus spectabilis & Magnifici domini Gabrielis Perenij, doctissimisq; & celeberrimis quibusq; ibi medicis assiduam & diligentem dedit operam, sectiones anatomicas partim inspexit frequenter ac sedulò, partim ipse quoque ut artem & experientiam ea in re suam exploraret, plurimas priuatim inter amicos instituit. Quin praxin quoque in medicando, quam multa doctrina & longa exercitatione periti medici in illis Academijs sequebantur, exactissimè notavit: iudicia illustrium medicorum, sententiasq; in causis, signis, symptomatibusq; gravissimorum morborum perscrutandis, accuratè observans, conferensq; simul & examinans plurimum eundem morbum curantium discrepantes sæpius opiniones: quæ ipsa

ipsa res attentissimam animi curam, & solertiam ingenij acerrimam requirebat. Tantum profecit in ea scientia ad quam feruentissimo naturæ impetu rapiebatur, & quam contentione indefessi laboris ac studij urgere non desinebat, ut nomen ipsius apud celebriores eius loci medicos citò inclaresceret, ac paulò post gravissima totius Academiæ Bononiensis censura, suffragioq; publico medicorum, doctoratus ornamenta atque insignia solennia promereretur. Hinc & Romam profectus est, ut & eruditiores medicos ibi audiret, rationemq; illorum in curandis morbis & modum affectando cognosceret, simulq; specimen artis & peritiæ suæ medicæ in teatro orbis terrarum frequentissimo exhiberet. Ibi in aula ipsius summi Pontificis per totum semestre stipendio honestissimo, non sine maxima nominis laude & celebritate artem exercuit. Sed cum propter professionem purioris doctrinæ, quam ritè antea cognitam dissimulare in tot impijs & portentosis Romanæ ecclesiæ abusibus minime poterat, futurum esset, ut in graue periculum incideret, non licuit diutius ibi persistere. Bononiam igitur denuò redijt, ubi præfuit etiam societati eius collegij, quod homines Pannonicæ gentis iam olim fundatum istic possident, ex beneficentia opulenti cuiusdam canonici Zagrabienensis, qui in usum egentiorum ex natione Ungarica studiosorum, domum quandam certis redditibus dotatam in ea vrbe olim constituisse dicitur. Hinc & in vicinum Illyricum subinde fuit euocatus ab Episcopo Zagrabienfi

E

grabienfi

grabiensi, ceterisque eius provinciae nobilibus, quos mirō
successu, & commendatione artis, atque solertia in medi-
ca ~~ca~~ popularis, à periculosis morbis liberavit. Ad ex-
tra ~~tra~~ agratis celeberrimis quibusque Italiae Urbibus,
& cum nobilioribus eius terrae medicis contracta amicitia,
cum iam expetitam patriae operam ex fructu diutur-
nioris peregrinationis istius prestare se posse confideret,
et alioqui voluntate patroni Spectabilis & Magnifici do.
Gabrielis Perenij reuocaretur, in Vngariam reuertitur
anno Christi 1560. atque in medicum priuatum eiusdem,
vnaque familiarem aulae & consiliarium asciscitur. Cuius
in aula octo continuos medicinam fecit annos, fide, vigi-
lantia, sedulitate, prudentia ac dexteritate summa, ut
à proceribus quoque & nobilibus provinciae istius omnibus
certatim & ambitiose opera ipsius & medicatio expete-
retur, omniumque ordinum homines varijs iisque difficili-
bus morborum pressi angoribus atque afflicti, ad eius
tanquam Apollinis cuiuspiam aut Aesculapij opem &
auxilium cum certa spe recuperandae salutis & incolumi-
tatis amissae, ex remotis locis quotidie confluerent. Tan-
ta erat autem Ioannis Viti Balsarati in dignitate iam
ampla apud suum Principem & gratia multa florentis,
ad benemerendum de omnibus promptitudo, tam ardens
& propensum opitulandi studium, ut nullum omnino
quantumuis inopem & ærumnosum à sua ope repelleret,
nemini officium medicationis vnquam negaret, sed mu-
nifica cum bonitate & alacritate ad curationem admit-
teret

teret cunctos, mercedis vel pensionis prius persoluedae
nulla iniecta apud quenquam mentione. Non vnquam
magnatum, nobilium, ecclesiasticorum, ciuium etiam
opulentiorum quisquam ab ipso curatus est, quo cum pa-
cisci prius sustinisset certam operae & laboris sui mer-
cedem, vel cuius medicationi inchoatae adiunxisset aua-
rius conditionem de constituta aliqua pecuniae summa
ipsi dinumeranda, si ex morbo aeger reualuisset. Quod
ditiores sponte & vltro offerebant, id quoque non sine mul-
ta recusatione & verecundia accipere solitum fuisse se-
pius vidimus, instantius vrgentibus illis, ne symbolum
gratificationis ipsorum, mutuaeque remunerationis pro re-
stituta incolumitate testimonium prorsus aspernaretur.
Et certe quantum lucri & compendij nunquam inter-
missa exercitatione artis medicae fecerit annos totos quin-
decim, quasque opes professio scientiae, ut putatur, ad rem
familiarem augendam fructuosissime ipsi pepererit, do-
cet rei domesticae supellex contractissima & egentissi-
ma, in qua certe & auri & argenti vel nihil vel parum
admodum visitur: Quin ad quotidianos familiae relictæ
usus, necessarii paulò post sumtus desiderabuntur. Hic
enim vir cum genuina quadam naturae prestantissime
bonitate ad beneficentiam erga omnes quoquomodo ex-
ercendam duceretur, officium medicationum gratuitarum
liberalissimum pluribus certabat accumulare meritorum
accessionibus, ideoque morbis atrocibus languentes com-
plures tam plebeios quam ecclesiasticos, quin & ex nobi-

litate paulò egentiores, qui se huc deportari valetudinis
causa curabāt, alimentis suis benignè pascebat, cibo potuq̄
quotidiano affatim reficiebat. Et alioqui domus ipsius ut
inopum atq̄ egentium omnium commune receptaculum,
ac promptuarium benignissimum frequentabatur semper
à pauperibus & calamitosis hominibus. Familiam quoq̄
domesticam, pio & laudabili exemplo beneficentiæ suæ,
assuefecerat ad promptitudinem in erogandis eleemosynis,
ut nemo inanis abiret, neq̄ exclusus repelleretur, quicumq̄
stipem petiturus istuc accessisset. Iam cum gratia, fauore
& autoritate polleret apud principem suum, plurimis
reis deprecatione & intercessione sua profuit, illis veni-
am delictorum etiam grauiorum impetrauit, & plerosque
à certo capitis discrimine liberauit. Sic complurium ex
uobilitate, ut & subditorum ciuium, causam & patrocini-
um promptissimo studio susceptum, cum illorum magna
gratia peregit. Et quod in primis laudem meretur atq̄
celebrationem, suasorem se præbuit Principi suo, ut viros
doctrinæ, pietatis, & sapientiæ commendatione claros,
vndiq̄ sollicitè conquisitos, passim in scholis & ecclesijs
sue ditionis collocaret, ut quàm florentissimas vtrasque
spectaret ijs ornamentis, quibus nihil est in hac vita præ-
stabilius, nihil pulcrius, nihil denique ad decorandam di-
gnitatem politicam magnificentius atque augustius. Per-
fecit quoq̄ ut iuuentutem literariam præsidij liberalita-
tis & munificentie suæ generosæ Princeps fouere ac tue-
ri pergeret, partim in scholis domesticis, partim in ex-
ternis

ternis Academijs necessarios fructus suppeditando: ijs
nimirum qui præcipuam aliquam spem profectus olim
certioris & vberioris videbantur ostendere. Imò fundos
etiam certos, reditusq̄ nonnullos, ut schola ista Patachi-
ensis ab eodem domino Gabriel Perenio obtineret, ipsius
potissimum gratia, autoritate & sollicitatione primum
fuit effectum. Talibus & tam insignibus ornamen-
tis cum excelleret, in florentiq̄ fortuna & dignitate con-
spicius omnem suam facultatem qua pollebat, ad publi-
cam aliorum vtilitatem dirigeret, prodesse omnibus, no-
cere nemini studeret: Virtus tamen eximia sicut inui-
diæ improbis stimulis hostiliter impeti semper consuevit:
sic præstantissimum etiam virum istum indignissimè in-
sectari ausa fuit immerentem: virulentisq̄ morsibus
falsissimarum criminationum lacerare nomen clarissi-
mum nefario ausu conata est, atq̄ deformare dignitatem
impudentissimè. Sed spectata innocentia, probitas, fi-
des, virtus, & merita in omne genus hominum illustria,
sic gratia Principis florentissima, adeoq̄ stabilibus & in-
concußis rectè factorum fundamentis subnixa honorifi-
ca existimatio, atque præclara apud omnes ordines auto-
ritas, deterfit facilè labeculam commentorum nugacissi-
morum: suaq̄ ventosa futilitate & fucosa fallacia sta-
tim euauerunt ac disparuerunt vocule inuidorum &
maleuolorum, qui alienæ claritatis radiantem fulgorem
ferre non poterant, ex obtrectationeq̄ & deformatione
optimorum crescere conabantur, nulla ipsi vera virtute,

solidaq; laude commendabiles atque insignes. Sed testi-
monium innocentiae ipsius vitae probatissimae vel il-
lud unicum esse potest satis evidens & amplum, quod
Imperator ipse Maximilianus qui nunc ~~Romani~~ imperij
sceptra feliciter moderatur, ubi de virtute eximia, erudi-
tione, fide, industria, felicitate in depellendis grauissi-
morum morborum periculis admirabili, meritisq; Ioannis
in omnes summos pariter atque infimos quam plurimis,
ubi inquam certius & plenius edoctus fuisset, nobilitatis
arma & insignia decora ultro ipsi obtulit, & in honestis-
simum ordinem equestrem peculiari quadam gratia &
favore benignitatis suae luculentissimae eum transtulit.
Porro ubi dictus Princeps Gabriel Perenus anno Chri-
sti 1567. vitam suam Posonij clausisset, tantoq; & tam
munifico patrono orbatus fuisset Doctor Ioannes Vitus,
non desistebat tamen summis pariter & infimis promptè
& liberaliter communicare fidelem operam suam in me-
dicatione, quoties requirebatur. Saepe itinera longin-
qua tempestatibus gelidis atq; nimboris grassantibus, eti-
am cum manifesto periculo valetudinis, vitaeq; suae, non
recusabat suscipere, modò probare posset studium suum &
ardorem voluntatis beneficae dominis magnatibus, nobili-
bus, & amicis à quibus accersebatur. Non parcebat si-
bi, frigus & aestum iuxta ferebat, vectionumq; crebra-
rum duras molestias, & incommoditates tædiosas tole-
rabat patienter, in vrgenda perpetua consuetudine exer-
cendae beneficentiae, in suae & alienae etiam gentis homi-

nibus

nibus prompta semper & alacri opera deuinciendis. Labo-
res autem ipsius diuina benedictione feliciter aspirante,
minimè caruerunt salutaribus & optatis successibus:
dum sanitati celeriter restituit plerosq; diutinis & graui-
bus morbis affectos, & quidem subinde tales qui de vita
quoq; ipsa iam desperare ceperant: quorum multi nunc
quoq; cum grata praedicatione meritorum acceptorum vi-
tam & salutem ipsius beneficio sese tueri non dubitant
confirmare. Sic igitur vixit, ut quasi ^{καὶ ὡς} ^{καὶ ὡς} com-
modis & utilitatibus aliorum inseruiret atq; inuigilaret
semper, sua interim negligeret, longeq; curaret segnius &
indiligentius: reprehendentibus ipsum subinde amicis, ne
sic alijs tantum prodesse studeret, ut sibi noceret, suisq;
domesticis certum tandem negligentia ista curandae &
amplificandae rei familiaris (sicut etiam accidit) concilia-
ret dispendium. Porro ut non viuens solum meritis be-
neficentiae suae illustribus gentem Vngaricam cumularet
atque proueberet, sed ad posteritatem quoq; praecleari sui
erga popularium utilitates amplificandas studij moni-
mentum aliquod insigne relinqueret, in ista orbitate patro-
cini sui, vitaeq; privatae secessu paulò quietiore pluscu-
lum ^{ἔγραψε} ^{ἔγραψε} actus, quatuor libros de re medica in vsum chi-
rurgorum lingua vernacula conscripsit, ad rectiorem &
exquisitiorem curandorum morborum praxin illos infor-
mare conatus. Qui ipsi libri convenientissima methodo
ad commoditatem empiricorum medicorum singularem
compositi si aliquando prodibunt, praepostera ista & te-
mera

meraria, ne dicam insana medicationis ineruditæ ratione emendata atque explosa, dici non potest quantum utilitatis ad patriam nostram vniuersam sit inde redundaturum. Et quidem iam olim dum anno 1564. lues contagionis pestilentissimæ his in locis atrociter grassaretur, libellum eruditum sermone latino de pestiferi cæli intemperie morbida præcauenda, & exquisita ratione diætæ salubrioris instituenda, præsentissimisque medicamentis ad curanda corpora per venenati aëris noxam infecta adhibendis, ad Spectabilem do. Gabrielem Perenium patronum suum composuerat, dexterrima methodo complexus omnia medicorum classicorum placita, quæ in illius argumenti compendiosam tractationem poterant incurrere. Et quidem libellus ille alijs quoque benigne communicatus, in multorum versatur manibus. Ad extremum ingrauescente nonnihil ætate, pertæsus sterilis istius & laboriosæ conditionis vitæ, nullo stabili patrocinio, & conspicuo emolumento subnixæ, impatiensque molestiarum plurimarum quibus damuose vexabatur, varijs itineribus ijsque quotidianis ad remotiora loca subinde accersitus, genus ante actæ vitæ commutare prudenti & deliberato consilio instituit. Ne autem inertem & otiosam vitam inglorius viueret, sed Deo atque patriæ reliquam quoque suæ ætatis partem religiosè consecraret, ad munus sacrum docendi plebem in Ecclesia adiecit animum. Erat quippe conscius & mediocris suæ ad illud administrandum facultatis, & alioqui nobiliore medicina,

cina, quæ circa animæ curam occuparetur, permutare cupiebat scientiam sanandarum ægritudinum corporis: vel certè istam præstantiore illa & digniore ornatorem perfectioremque reddere, adeoque clarius nobilitare & fructuosius amplificare contendebat. Hanc ad cogitationem deducebat eum, & recordatio primæ nutritionis Heroinæ Iaxithiæ, liberalitatisque illustris, quam in studijs ipsius inde à pueritia promouendis illa exercuerat, pio & salutari instituto, de fructibus eruditionis literariæ alumni sui Ioannis olim dedicandis Ecclesiæ sacris vsibus, si ad maturitatem ætatis & doctrinæ iustam is procedere potuisset. Cum ergo curriculum istud sacrorum studiorum (vt ante diximus) præeunte Stephano Copacio feliciter ingressus, aliorum consilio & suasu abrumpere iuuenis debuisset, nuncque ad illa eadem redeundi & libertatem & occasionem optatã se nactum cerneret, libenter ad finem à patrona optimè merita quondam destinatum, in postremo ætatis flexu referre facultatem eruditionis suæ constituit, si tunc cum ex superiorum arbitratu atque autoritate studiorum ipsius ratio omnis gubernabatur, id ipsum facere minus licuisset. Et meminimus viuente adhuc Magnifico domino Gabriele Perenio, cum Generosæ dominæ Iaxithiæ benignitatem eximiam prædicatione grata subinde recoleret, tacito conscientiæ iudicio subaccusari se & damnari solitum dicere, quod professione studiorum theologorum abdicata, ad scientiæ medicæ exercitationem præter consensum & approbationem do-

F

nem do-

nem dominæ suæ transiisset. Ut igitur & religiosum illius iampridem defunctæ votum exolveret, & alioqui conscientie vitæq; suæ pacatiori consuleret, ad medica studia quæ per complures annos dexterrime tractauerat, cælestis quoq; medicinæ professionem publicam decreuit adiungere. Quas ipsas geminas facultates tanquam remultum dispares, & officijs vsibusq;, vt videtur, discrepantes, si quis non satis conuenienter & appositè copulare inter se vnum aliquem posse clamitabit: is vel prodet malitiam suam & improbitatem, diuinorum donorum mensura cumulatione in certas aliquas & singulares personas collatorum benedictioni, nefaria maligni ingenij peruersitate inuidentem: Vel potius patefaciet turpem inscitiam, vt quæ corporis atque animæ consociationem arctissimam non sciat perpendere, alteriusq; ab altero curam necessario distrabendam esse semper stolidam & insulsam proteruia vociferetur, hominis integri ex animo & corpore constituti appellatione qui censeatur indignissimus. Et quidem iniquam istam planeq; nugatoriam criminationem de disparitate & irreconciliabili pugna duarum istarum professionum, absurdaq; & illicita earundem inter se copulatione, licet nihil opus esse videatur apud sanos & intelligentes, & vel tenui aliqua doctrina tinctos refellere, vix tamen quicquam minoris est operæ, quàm coniunctarum istarum facultatum cognationem et harmoniam iucundissimam ostendere. Nam vt solidæ & consummatæ eruditionis laudem, quam natura omnes

appeti-

appetimus, non vnius tantum facultatis et scientiæ quantumuis præclaræ & eximiæ cognitionem, sed omnium simul laudatarum & nobilium artium peritiam suo ambitu comprehendere taceam: certè ingens inest amœnitas, & dulcissima liberalibus ingenijs voluptas, in considerata vicinarum professionum istarum pulcherrima concordia & congruentia. Cum enim præcipua & potissima pars cælestis sapientiæ, post Dei cognitionem voluntatisq; eius patefactæ inquisitionem, in hominis noticia & contemplatione videatur esse occupata & defixa, quæ potest homini laudabilis institutionis & doctrinæ cupido maior offerri oblectatio, quàm aspicere distinctas ordinatissimè vires & potentias in ipsa natura hominis, constructionem & fabricam singularum partium exquisitissimam, & demum accidentia, proprietates, ac functiones earundem pulcherrimo consensu inter se distributas. Quarum sane rerum mediocri saltem intelligentia, quam medicina tradit, professionem Theologi cum aliqua laude tueri se posse qui somniabit, & in enarratione principalium doctrinæ cælestis dogmatum dextrè satis & fructuosè versaturum se si quis obganniet, nã ille suam turpiter manifestabit stoliditatem atq; vecordiam, in æstimandaq; muneris longè amplissimi difficultate & magnitudine, profanam securitatem, & flagitiosam oscitantiam. Atque vtinam non satis superq; clamaret experientia, fœdissimasq; proderet hallucinationes ac ineptas insulsasq; enarrationes eorum in publicis ad plebem concionibus, qui nobilissi-

F 2

bilissi-

bilissima hæc studia, quæ per inertiam & stupiditatem nunquam attigerunt, vesana temeritate damnant, ad dogmatumq; cælestium salutarem & eruditam explicationem nulla humana philosophia opus esse, sed solius spiritus diuini magisterio et afflatu arcano doctores indigere vociferantur, apud stultam multitudinem clamosa sua ista improbitate & audaci imperitia mirum in modum ferocientes. Nobis quidem minimè foret operosum per primariorum locorum theologorum diligentem examinationem, imò & testimoniorum sacræ scripturæ infinitorum prolixam congeriem luce meridiana clarius id quod dicimus ostendere, nisi verbositatem ingratham istius tractationis hoc quidem tempore consultò & data opera vitandam arbitraremur. Iam enim necessitatem physicorum studiorum, quæ præsertim circa descriptionem naturæ humanæ eiusq; virium ac facultatum inquisitionem occupatur, in futuro theologo plurimi eruditissimi viri verissimis rationibus ante nos luculenter & solide demonstrarunt: vt diutius immorari in turbulentiæ istius cateruæ ineptissimis & putidissimis clamoribus coarguendis ac retundendis, tam importunum huic loco, quam etiam superuacaneum omnino esse videatur. Hac si quidem in re si longius verba producere operæ precium putarem, nullius foret negocij exempla quoque Patriarcharum augustissimorum, sic & sanctorum Prophetarum qui medicinæ studiosi omnes extiterunt, Physicamq; de natura rerum scientiam probè calluerunt, ad tuendum

endum institutum viri summi allegare. Non deessent pariter recentiorum theologorum aliquot celeberrimi nominis quos præclare ab istius cognitionis facultate instructos fuisse, ad interpretationemq; diuinarum literarum intelligentiam attulisse præcipuarum doctrinarum Physicæ professionis, quæ præsertim circa humanæ fabricæ versatur contemplationem atque noticiam, docent luculentissimæ illorum explicationes, lucem istius scientiæ & fructum, in sacris scriptoribus dextrè & feliciter enarrandis ceu digito quodam commonstrantes. Nihil dicam hoc loco & de illis aduersationibus, quæ conatui Ioannis Viti Balsarati, & instituto saluberrimo iuuandi Ecclesiam, diuiniq; nominis gloriam propagandi atque illustrandi opposuerunt se acrius & inconsideratius, in primis statim auspicijs ministerij ipsius & vocationis in Ecclesia Liscana inchoatæ. Tulit enim eas omnes iniurias Circa A. 1564. quantumuis indignas & immeritas vir optimus patientissimè simul et moderatissimè, nulla maledicarum criminum vindicta certando cum fratribus durioribus, sed mansuetudine sua, patientia & lenitate vincendo potius asperitatem quorundam morosiorum, & non satis consultam rigiditatem. Pergebat interim ceptum fideliter in docendo vrgere officium, donec eorum quoq; qui non satis æqui & fauentes primum huic cõmutationi vitæ fuerant, mitesceret asperitas, emolliretur durities, & ad fouendam tuendamq; cum fratre eiusdem sacri ministerij consorte piam & salutarem concordiam, flecteretur sa-

natorum animorum atque voluntatum reconciliatarum placabilitas. Omnium namq; bonorum vnanimi voce & prædicatione collaudabatur nobilis ista & sapiens prioris conditionis variatio, magnatibus, nobilibus, & plebeis ad insperatam istam vitæ & professionis inuolutionem obstupescens, diuinamq; benignitatem pro isto salutari munere patrijs ecclesijs concessio in tanta paucitate pastorum eruditiorum, pio & grato pectore certatim concelebrantibus. Et quidem Ioannes ipse Vitus vt publicè testatum faceret se nullum nouum ac improbatum doctrinæ genus, ab orthodoxaq; istarum ecclesiarum confessione dissidens atque remotum velle in ministerio docendi suscepto spargere, scriptum eruditum ac luculentum de omnibus Christianæ religionis capitibus perspicua breuitate in certas theses distributum euulgauit, vt de fidei suæ quam asserturus docendo & propugnaturus erat, exploratione atque examine, liberum & integrum Doctoribus harum regionum iudicium permetteret ad normamque diuinarum scripturarum probatissimam censura acerrima inquiri in eum mandaret. Sed vt iam ad institutum ab ista pernecessaria neque importuna, vt arbitror, digressionem, iterum se nostra reuocet oratio, ne functionem sacratissimam Ioannes Vitus prauo aliquo & vitioso animi impulsu videretur capessere, neue vel ad turpem atque infamem auaritiam, vel ad ambitiosam curiositatem ingerendi se alienis muneribus raperetur institutum laudatissimum, in Ecclesia vicini oppidi

oppidi non valde celebri & ampla, questuosisq; aucupijs opulentorum reddituum minimè omnium commendabili inchoauit docendi ministerium. Tantum autem & tam vberem successum largiebatur præter spem & expectationem Dominus, vt diuino instinctu ad prædicandum Dei verbum accessisse, ab omnibus cordatis & sapientibus iudicaretur: ac Liscani ipsi ciues summas Deo funderent gratias, pro tam pio, fideli, ac erudito doctore ipsis concessio. Mansit annum integrum in ea Ecclesia, ardens mirifico quodam zelo asserendæ & propagandæ veritatis cælestis, vitæ probitate ac innocentia, sic grauitate morum ornans ministerium, disciplinam ecclesiasticam seuerè custodiens, comitate autem & facilitate, quotidianæq; consuetudinis suauitate ac lepore, amabilem se omnibus & gratiosum exhibens. Et quidē fidem ac assiduitatem in vrgendo officio, vigilantiam, dexteritatem in tradendo, aliasq; dotes egregias optimi Pastoris sui, nunc quoq; grata cum recordatione celebrat Liscana ecclesia. Exacto anno, cum in frequentiore etiam & celebriore ecclesia, pietatis, eruditionis, sapientiæ in gubernatione, dexteritatis fructuosæ in docendo, virtutis, consilij expediti, aliorumq; insignium ornamentorum Ioannis Viti Balsarati fructus clarius posse enitescere, & ampliore cum emolumento exeri debere iudicarentur, istaq; ecclesia Patachiensis pastore primario destituta tunc vacaret: Senatus honestissimus huius vrbis omnium cunctatione deposita, Magistratus quoque superioris auctorita-

toritate & calculo vocationem approbante, gubernationem Ecclesie nostrae consentientibus populi vniuersi suffragijs ad Doctorem Ioannem Vitum deferre decreuit. Qui cum diuina quadam prouidentia occasionem vberiorum iuuandae ecclesiae, atque amplificandae gloriae Dei oblatam sibi cerneret, & alioqui generoso excelsi animi ardore, talentum diuinitus acceptum copiosiore cum fauore exercere gauderet, suadentibus idem fratribus & amicis quoque, conditionem minimè abnuendam esse censuit: licet ecclesia illa Liscana tanquam quietiore & obsequentiore, ad regendumq; minus laboriosa & sollicita, contentum se esse posse saepius atque iterum ingeminarret. Translatus ergo ante triennium & quatuor menses in hanc ecclesiam Patachiensem, pietatis egregiae, sedulitatis indefessae in vrgendis vocationis suae partibus omnibus, moderationis, aequitatis, patientiae & studij erga tranquillitatem publicam conseruandam, documenta insignia exhibuit, adeoq; praestantissimi doctoris luculentam expressit imaginem, & exemplar imitandum representauit laudabiliter, in ijs virtutibus omnibus, quas doctrina sua, vita & moribus referebat. Nihil fuit ipso feruentius, nihil acrius, nihil pugnacius in assertione & propugnatione veritatis orthodoxae, à qua vel latum unguem non discedebat vnquam: ad perpetuum consensum & normam scriptorum sacrorum, symbola, synodos probatiores, iudiciaq; Ecclesiarum recentiorum melius constitutarum, omnes sententias suas & assue-

rationes

rationes de fidei singulis dogmatibus tanquam regulam in docendo certissimam & infallibilem dirigens. Hae-
reticorum furorum tetras & impias abominationes toto pe-
ctore detestabatur, solidissimisq; diuinarum literarum
testimonijs confundebat, ac refutabat: argumentis tam
firmis atque nervosis aeternam Iesu Christi & Spiritus
sancti Deitatem subinde vindicando, aduersariorum ve-
rò impias argutias & subdolas technas discutiendo: vt
nihil esse posset linguae ipsius flammæ vibratis fulmini-
bus quibus cuncta hostium Iesu Christi agmina proster-
nebat violentius, nihil efficacius, nihil potentius. Totum
intus ardere, ex imisq; viscerum penetralibus commoueri
diceres, quoties pro veritate orthodoxa asserenda, verbi
diuini gladio inuictò decertantè audisses, vel blasphemias
furiosorū impostorum euertentem funditus, ex irrefraga-
bilib. et immotis diuinorum scriptorū oraculis. Suadæ me-
dullā efficacissimam longè rectius in ore concionantis istius
sessitauisse dixerit quispiā: tantum erat inuentionis inge-
niosissimæ acumen, dispositionis ac æconomiae ad intelli-
gentiā & docilitatē auditorum comparatæ prudens dex-
teritas, argumentorum ad persuadendum potentissimorū
confertissima & pugnacissima acies: ac deniq; elocutionis
exuberante orationis copia redundantis, nouamq; semper
continuandi sermonis materiam affatim subministrantis
facilitas & elegantia: vt de actione ipsa quæ rerum
quæ tractabantur, dignitati mire conueniebat, omniumq;
gestuum ac vultus composita grauitate, decentiq; ornatu

G

tacea

taceamus. Memoria certè tam fideli, prompta & expedita fuit, vt inter docendum nunquam obliuiose intersileret, nunquam laberetur aut hæreret, sed depromeret ex opulento thesauro capacis, vegetæ & habilis memoriæ, omnia illa, quæ legendo, scribendo, vel meditando apud animum reposuerat. Atque si vel recordando repetam proximorum saltem qui mortem antecesserunt, dierum fatidicas illas conciones, & imminentis quasi disiunctionis ab ecclesia præ sagam vocis præter solitum inualescentis contentionem, viuidum & acrem in vultu vigorem: dum doctrinam saluberrimam de passione & resurrectione saluatoris nostri Iesu Christi, cum feruore & vehementia orationis insolita, tam ex Prophetis, quam Euangelicis & Apostolicis scriptoribus, disertissimè omnium & neruosissimè enarrat: Illas certè vltimæ elaborationis conciones in frequentissimis cætibus festorum solennium habitas, pro cygnea quasi cantione vir eximius, & sensu quodam diuinitus indito mortis ap properantis inflammatus, relinquere nobis voluisse, velut pro testamento supremæ confessionis suæ & fidei videtur. Quem ipsum vultum concionantis alacrem, oraq; ad huc pene spirantia, gestus compositos & summè pacatos, vultus auspiciati angustam reuerentiam, vocem canoram & arguatam stabili semper pronuntiationis sublatis tenore decurrentem, verborum pondera ac sententiarum gravitatem: sic testimoniorum ex sacris libris magno cum iudicio delectorum dexterrimas allegationes, earundemq;

luc.

luculentissimas interpretationes: hæc inquã diuina, præ clara, stupenda, peculiaremq; doctoris nostri in concionando spiritum & ardorè arguentia, dum mecum considero auditores nobilissimi, à lacrymis temperare mihi non valeo, vixq; cõtineo quin vox tremula præ animi acerbitate faucibus interclusa, prorsus intersilescat. Cerno enim vos quoq; omnes mœrorem quem ex querula commemoratione ista capitis tristissimū, propter amissa tam rara, tã pulcra & præsignia in vno corpusculo Dei munera, redintegrare funestius, frustra q; requirere ex præsentis cathedra tacitis suspirijs, lacrymantibusq; oculis doctorè illum præcellentem, in quem hæc cuncta & longè cumulatiores spiritus ille Dei donorum omnium cœlestium munificus largitor benignissima manu contulerat. Iam si vitam religiosam, moresq; priuatos examines, quis in vrgendis quotidianis precibus ipso crebrior & ardentior? quis in lectioe diuinorum scriptorum & accurata meditatione doctrinæ cœlestis intentior, laboriosior, & vigilantior? Somni certè magis prodigum, nocturnæq; quietis beneficio parcius vtentem cognoui neminem. Paulò post mediam noctem, perpetua consuetudine continuatis à prima iuuentute istis non satis tempestiuis & salubribus lucubrationibus, surgere consueuerat semper, textumq; Bibliorum familiarem sibi ab ipsa pueritia redditum, per seriem sacrorum codicum legere pergens quotidie, ad interpretum eruditiorum lectionem transibat, locorum quoque communium quibus præcipua Christianæ religionis dog-

G 2

mata

mata continentur collationem atque eruditam metho-
dum illis prudenter adiungendo. Sic fiebat, ut rerum
optimarum cognitioneque dignissimarum paratum semper
et copiosum aceruum, ex multa et diligenti optimorum
scriptorum lectione afferre posset ad docendum, concio-
nesque suas erudita et grata auditoribus, imò fructuosa
etiam copia atque varietate caelestis doctrinae abunde in-
strueret. Quicquid vacui temporis à studiis priuatis et
concionibus publicis supererat, vel in puerorum domesti-
corum quos et suos et alienos, et praesertim parentibus
orbatos complures gratuito alebat institutione atque disci-
plina, vel vero in æconomicis familiae laboribus ordine
distribuendis ponebatur: vel denique in scholae quotidiana
inspectione, medicatione ægrotantium scholasticorum,
aliisque simul morbidis visendis, qui ex longinquis locis
ad ipsum etiam ministerio ecclesiastico initiatum affere-
bantur. Non raro interpellabatur ab ijs, qui ex omni-
um ordinum hominibus consilij petendi causa, in serijs
et grauibus deliberationibus ad ipsum confluebant, apud
quos omnes laudem et commendationem prompti acuti-
genij, prudentiae habilis et expeditae, partim natura-
li mentis sagacitate et perspicacia, partim verò multa-
rum rerum experientia et usu comparatae, dum versa-
tur subinde inter viros principes et sapientes, vna voce
obtinebat. Iuris quoque ciuilibus consultissimus habebatur,
de quo percunctantibus, celeriter, acute, et subtiliter po-
terat respondere, cum multa admiratione consultorum
ipso

ipforum ad acrimoniam, promptitudinem, et dexterita-
tem sagacis et prouidi ingenij obstupescantium. Magna
etiam pars vacui temporis, imò grauioribus etiam studijs
destinati, scribendis diuersis ad amicos epistolis impende-
batur, ut ociosum et nihil agentem vix vnquam, sed
serij semper aliquid tractantem, et in necessario negotio
priuato vel publico versantem deprehenderes. Mores
praeterea erant placidi, suauis, sinceri, et incorrupti. Na-
tura ingenua, recta, simplex, aperta, candida, ab omni
insidioso furore, et subdole occultationis veteratoria va-
fricie longissime remota. Modestia eximia, nihil al-
tum, sublime et arrogans de seipso sentiens aut loquens
vnquam: nullum omnino nocendi cuiquam sed omnibus
pariter inseruiendi studium: candor in sermone amabi-
lis: comitas et affabilitas in familiaribus amicorum con-
gressibus, et tractandis quoque hospitibus qui frequen-
tes ad eum ex varijs ordinibus in singulos dies comnea-
bant, iucundissimae festiuitatis, amœni leporis et gratiae
plena. Ad iracundiam quidem nonnunquam procliui-
or, sed ad placabilitatem tamen et lenitatem vltro se sta-
tim reuocans: irae et offensionum etiam acerbiorum mi-
nimè omnium pertinax: quin multas priuatas iniurias
tranquillitati publicae sponte condonatas, ex animo liben-
ter et citò obliterans. Iam in disciplina domestica con-
seruanda seuerus, diligens, solers, in moribusque suorum
honeste formandis et regendis acer et intentus. Vnde
praecipuorum quorumque istius prouinciae nobilium liberi,

inò vicinarum etiam regionum adolescentuli, in domum ipsius quasi scholam quandam ciuilitatis & officinam pedagogiae puerilis ablegari consueuerant: qui ipsi & in religiosa pietate, & in bonis moribus & studiorum scholasticorum accuratis examinibus, in consuetisq; ministris ad mensam puerilibus solerter & promptè obeundis, sedula ipsius cura, inspectione, cohortatione, & asperioribus aliquando castigationibus, magno cum eius inò & securitæ post ætatis fructu exercebantur. Vita coniugalispacatissima fuit, amoris sinceri & non simulati plenissima, omniumq; virtutum coniugaliū vtriusq; sexus exemplar illustre & imitandum. Nunquam ego stomachosiores vel asperiores paulò increpationem professam cum quidem aliqua contumelia à viro ipso in uxorem audiui: licet frequens in ipsius familia versarer: cum sociam thori ex singulari Dei munere atque bonitate sortitus esset omnium mitissimam simul & obsequentissimam, mariti & liberorum amantissimam. Vixit cum uxore Ursula, pietatis, pudicitie, modestie, integritatis, fidei in maritum, omniumq; ornamentorum matronalium laude spectatissima fœmina, quam ex honestissima familia eaq; antiquissima Moreorum nobilium duxerat, annos totos quindecim, ex quo coniugio quinque suscepit liberos, quorum tres adhuc viuunt superstites. Sed erga scholam quàm pius fuit, quàm benignus, quàm liberalis & munificus? Quoties vestiuit scholasticos egentiores, seminudos texit iuuenes pariter ac pueros, præfero

præsertim in discendo solertiores, quos omni ope patronorum cernebat destitutos? Nemo vnquam pauperum & egentium, qui ex ista schola ad ipsum confugerunt subsidium aliquod non reportauit, quod quidem conferre in facultate ipsius fuerat positum. Amabat impense ordinem scholasticum, bonæq; spei & expectationis iuuenes mirifico benignitatis studio & propensione fauoris incredibili prosequabatur, siue ex suo largiri posset in vsum ipsorum aliquid, siue etiam deprecatione apud opulentiores (quod officium minimè omnium defugiebat) elicere. Nunc commeatu, nunc pecunia, nunc libris, nunc papyro, nunc panno coemto, egestatem miserorum velut parens et fautor benignissimus opportunissimè leuabat, nullamq; prætermittebat comoditatem qua beneficentiam præstantis naturæ innatam, iuuandiq; cupiditatē atq; promptitudinem alacrem declarare posset erga iuuentutem literariam. Ex hoc vnico studio benemerendi de literatorū ordine, ad quod genuino virtutis beneficæ impulsu ferebatur, decus, laudem & commendationem quærebat, in istoq; liberali patrocínio & benigna nutritione discipulorum in hac schola præsertim, cum singulari oblectatione acquiescere vir beneficentissimus animaduertebatur: suorum interea priuatorum emolumentorum curator & amplificator negligentissimus. Ædificationem quoque amplificandæ scholæ isti, locupletandisq; domicilijs peropportunam suo sumtu instituerat, non sine certis & fructuosis studiorum nostrorum commoditatibus, si partim varijs impe-

impedimentis obstantibus, partim vero morte improuisa
præueniente imperfectam relinquere non debuisset. Sicut
autem sine bono claudi vita probata solet, mors etiam pla-
cidissima, somniq; similima, omnium torminum & an-
gorum acerbiorum expers, vitæ antea pietatem &
innocentiam exitu optatissimo comprobauit. Nam sine
ullo fremitu, & horrore tristiore, in assiduis piarum &
ardentium precum suspirijs, quibus salutem suam, suo-
rum ac totius Ecclesiæ commendabat Deo, animam ex-
halauit septimo Aprilis, cum annum ætatis 46 nondum
superauisset. Torminibus scuis calculorum (νεφρίτις enim
congenitus & familiaris illi morbus fuit) ex calidiore
renum intemperie subinde tentabatur: licet occasiones
omnes passionis eius alendæ vitaret, in cibis materiam
morbi fountibus summo studio, sollicitaq; cura fugiendis.
Arte nihilominus & medicamentis id fuerat consecutus,
vt quoties malum recurreret, induratum & coagulatum
illam in renibus ex lentis, crasso & viscoso humore mas-
sam sensim frangeret atque dissolueret, sic resoluta in
arenulas materia, minore cum cruciatu per suos meatus
expelleretur. Neque tamen hic morbus quem tanquam
lethalem futurum semper formidabat, vitam ipsius ter-
minauit: sed diarrhœa acutissima quæ succum corporis
interiorem penitus omnem exhauriens, & riuulos vita-
lis quoq; humidi quod membris omnibus interioribus &
exterioribus vigorem viuificum suppeditare consuevit
exarefaciens, intra horam duodecimam ex qua ægrotare
cœperat

ceperat (repentinam & inopinatam mortem aspice) in-
terfecit ipsum: vt cum hora diei nona de varijs serijs re-
bus collocutus fuisset, & tractasset cum amicis, imò tem-
plum quoque concionaturus adisset, sub horam noctis no-
nam eodem die expiraret. Nulla quippe medica virtute
tabificus & pestilens ille fluor sisti potuit, qui per immo-
dicas illas & saniosas deiectiones ad extremum et morti-
ferum languorem cum redegisset corpus antea satis fir-
mum, vegetum & succulentum, vires repente omnes
conciderunt, ex ingenti nimirum exinanitione humorum
quoque omnium naturalium, spirituumq; vitalium & ani-
malium vltima resolutione, adeoq; caloris viuifici, quod
necessario pabulo iam destituebatur, lethali extinctione
& interitu. Cum igitur viro præstantissimo, tot
& tam præclaris, quæ hætenus commemorauimus, doti-
bus ingenij, doctrinæ, pietatis, sapientiæ, benignitatisque
in omnes conspicuo, doctore omnibus laudibus & orna-
mentis pastoralibus cumulatisimo, orbata sit nostra hæc
Ecclesia, imò vniuersa Pannonia talium doctorum illu-
striorum nunc maximè indiga, meritò lugemus omnes,
hancq; funestissimam orbitatem veris & non simulatis
prosequimur gemitibus. Tuq; in primis domine Magni-
fice Franciscæ Dobo illustris Patrone tam Reipublicæ
quàm Ecclesiæ istius: vnà cum generosissima domina Sa-
ra Sulyok matre tua pientissima, sentitis omnino & agno-
scitis vulnus acerbissimum quod accepit grauissimè affli-
cta vniuersa hæc prouincia, quodq; omnium ordinum ho-

H

mini

minibus luctum peperit vix vlla temporis quantumuis diuturni mora atque obliuione abolendum. Non aegritudinibus enim tantum corporum innumeris, quibus per varias & subitas vices misera hæc natura vexatur atque conficitur, presentaneam medicinam adhibere vir summus poterat, adeoque valetudinis incolunitatem à nocentissimis morborum ingruentium periculis tueri & asserere: sed quod maius est ac præstabilius, animæ medicinam longè digniorem & sacratiorem felicissima iam arte exercebat. Illa quippe sola deprauatissimam istam perditæ hominis corruptionem mortiferis spiritualium & alioqui incurabilium morborum affectionibus obsessam & misere vitiatam instaurare salutariter potest, sanitatem animæ recuperatam conseruare incorruptam, ad æternamque cælestis vitæ beatitudinem & gloriam totum hominem reformatum in hac mortali adhuc vita præparare. Hac inquam vtraque medicina poterat prodesse diutius non Magnificentijs tantum vestris dominis & patronis colendis: sed toti huic Reipublicæ ac Ecclesiæ Patachiensi, imò prouincijs quoque circumiacentibus omnibus, quæ ipse præter vnicum istum peritia artis medicæ pollentem, his quidem in locis habebant neminem. Vnde iam necesse erit, vt paulò post opem ipsius salutarem, quam experti antea fuimus, singuli sæpissimè, ardentibus & sollicitis votis nequicquam requiramus, crudelibus morbis debilitati atque languentes, hoc præsertim tempore, quo improuisis & acutis morbis quàm pluri-

plurimos subito interire quotidie non sine tristi horrore & trepidatione audimus atque aspiciamus. Et certè quid iam nobis est futurum desertius? quid miserius? quid deploratius? Qui si morbis aliquibus inopinatis ex improviso opprimamur, nullum plane opis & medicationis humanæ subsidium vspiciamus nos habituros possumus confidere, in hac calamitosa inopia & deploranda solitudine hominum medica scientia excultorum: cum tamen illa ad procurandam valetudinis firmitatem, depellendos morbos omnis generis, vitamque qua nihil putatur carius esse & preciosius, producendam, summè sit conducibilis, accommodata & pernecessaria. Pecudum more lectis & toris affixi inter immanissimos dolorum sæuentium cruciatus, languentem morborumque diuturnorum diritate enectam animam exhalabimus, fratrum & amicorum, qui nobis ægris fortè aderunt, auxilium & operam salutiferam irrita & inani spe medicationis imploraturi. Qua ipsa tristissima solitudine & indigentia opis necessarise atque expetite in rebus desperatis, nescio an quicquam sit miseris mortalibus magis funestum, horridum atque luctuosum. Cui ipsi difficultati & penurie lamentabili vt quamprimum succurratur, hæcque inestimabilis iactura vt maturo & prouido consilio citra longam procrastinationem sarciatur: ad vestram pietatem, curam, prouidentiam & sollicitudinem inprimis pertinet domine Magnifice Franciscæ Dobo Patrone colende, domina generosissima Sara Sulyok: Tuque vir nobilissime Fran-

H 2 cisce

cisce Sulyok: qui proxima sanguinis necessitudine patronis nostris cum cōiungaris, velut Nestor quidam consultissimus, aulæ istius negocia præcipua omnia sapientia, fide, industria, vigilantia, atq; autoritate feliciter moderaris, oneraq; gubernationis occupatissimæ & molestias multiplices ex magna parte in vniuersa ditione Doboniana laudabiliter sustines. Nisi enim vtrique inopia & cladi tam ecclesiasticæ quàm politicæ provideatur primo quoq; tempore, remediumq; præsentissimum exquiratur viris eximiè eruditis (vnum enim qui vices defuncti per omnia supplere possit, nos reperturos vix sperare ausim) in stationem viri Clarissimi substitutis: cum irreparabili detrimento et vestro priuato, totiusq; ditionis imperij vestri, cunctationem & cessationem istam damnosam pensabitis: cum & vitæ istius corporalis in incolumi statu suo conseruandæ, & animarum pabulo verbi diuini pascendarum cura neglecta certissimum secum trahat & sempiternum exitium. Iam scholam istam, atq; vniuersam rem literariam, quàm tristis, acerba, & lacrymosa clades ex hoc funere inuaserit, vtinam fallaci & irritò augurio diuinaremus, & potius infastæ huius orbitatis, calamitosæq; sciunctionis dāna flebilis cum mærore & luctu grauisimo non paulò post persentiscere cogere mur. Amisimus iuuentus liberaliū doctrinarum studiosissima, amisimus inquā scholæ istius nostræ, imò totius rei literariæ parentem, patronum ac nutricium beneficentissimū, omniumq; difficultatū vitæ huius scholasticæ, atq;

erum.

erumnarum asylum tutissimum, & confidentissimum refugium. Et quidem amisimus in fatali ista paucitate & indigentia benignorum Mæcenatum, deplorandaq; desertione atque vastitate optimorum studiorum: quæ ipsa partim aduersante fataliter turbulentissimorum temporum, iniquitate & miseria, partim crescente indies maligna improbitate corruptissimorum iudiciorum: quin publico etiā contemptu & maledica insectatione peruersissimi seculi effundente se procacius, & grassante virulentius: accumulatis subinde nouis contumeliarum & incommodorum accessionibus: laborare plurimum ceperunt ac nutare, adeoq; ad vltimum interitum & ruinam præcipiti inclinatione vergere. Quotusquisq; enim quæso reperietur ordinum, si curas, studia, & occupationes singulorum tacitus tecum examines, qui vel minima ex parte censeat ad suum pertinere munus, literarum fouendarum & conseruandarum curam & prouidentiam. Procerum quos reliquos adhuc fecit patriæ tot cladi bus exasperata calamitas, in explenda per fas et nefas immani sua auaritia, excarnificandis per continuas & immoderatas expilationes subditis, ditioneq; sua per vim & dolum amplificanda, occupatur atque exercetur omnis labor & sollicitudo, religionis sincerioris asserendæ, propugnandæ aduersus hostes barbaros patriæ, disciplinarum liberalium in scholis ad posteritatem transmittendarum cogitatione & studio, ne per somnium quidem animos ipsorum vnquam subeunte. Ad alendos certè

H 3

para-

parasitorum & canum greges, aliamque ignauam, imò ple-
runque stupris rapinisque infamem turbam aulicam pascen-
dam & saginandam, vestitus denique deformitatis bar-
barice luxum flagitiosa turpitudine innouandum & ac-
cumulandum, nihil videas esse plerisque illorum largi-
us & sumtuosius, nihil in dilapidanda & perdenda pe-
cunia stultius & inconsideratius. Ad nobilitatem ipsam
quod attinet, in litibus & controuersijs rabiosis implaca-
bili animorum concertatione & odio exagitandis, iisdem-
que irrita pacificatione per multas aetates alendis & ex-
trahendis per omnem vitam sunt irretiti & impliciti, li-
tem ex lite ferentes, liuoreque, emulatione & simultati-
bus se inuicem exedentes, colonorumque mendicitatem in-
tolerabili seruitute prementes & exhaurientes, ita ut rei
literariae his in regionibus tuendae atque propagandae, con-
seruandorumque ad nepotes studiorum pietatis & laudata-
rum artium, nulla vnquam sollicitet ipsorum mentem cu-
ra & consideratio. Iam ad ecclesiasticos ut veniamus,
quem affectum erga scholas gerant plerique, quantumque
moueantur angustijs discipulorum quotidie augescentibus,
vitaeque nostri ordinis hominum aerumnosissima, non est vlli
obscurum: ut inuidiosam querimoniam & liberiolem re-
prehensionem apud ipsos instituere, de ista indignissima
agminis scholastici desertione & studiorum liberalium
ecclesiae vsibus inprimis seruientium, squalore ac men-
dicitate minimè videatur esse operae precium. De plebeio
ipso ordine, popularique in bonas literas affectu & studio
taedet

taedet vel mentionem iniicere. Nihil enim stolidius, nihil
futilius, nihil etiam improbius & malignius illo hominum
genere possis reperire in perspicienda dignitate ac necessi-
tate nostrarum artium, earundemque vero & multiplici fructu
ad omnes vitae gradus & functiones aestimando. Ideo vix
vlla vitae conditio acerbior flagrat vulgi imperiti odio,
non sustinet maiorem contemptum atque inuidiam, neque eti-
am criminosa insectatione maledicarum reprehensionum
crudelius exagitur atque proscinditur. In tot ergo &
tam saeuis turbulentisque procellis tempestatum vndique fu-
renter rei literariae ingrumentum deserui nauclero fidelissi-
mo & sapientissimo puppim nostram scholasticam, tam
opportunoque & necessario patrocinio studijs politioribus
deditam iuuentutem orbari, imò ecclesiam quoque ipsam
alieno admodum tempore nudari praeside laudatissimo
non possumus non summè dolere, angi, lugere & lamen-
tari. Et profecto minime dubitandum est, quin impro-
uisus iste & inexpectatus, nullique nunc formidatus obi-
tus viri incomparabilis, indicium sit offensionis & indi-
gnationis diuinae saeuissimae aduersus Ecclesiam istam
nostram & Rempublicam. Quoties enim serui Dei dilecti
e medio malorum subducantur, ad Dominumque mature
transferuntur, accelerare irati Dei seueram vindictam,
excidiumque regnorum & populorum vastissimum: ex
quo fideles sanctosque suos liberare Dominus tempestiue
consuevit: tam Prophetarum sacra docent oracula quam
ostendunt exempla in historijs ecclesiae antiquis atque re-
centi-

centibus. Quin fatalis ista & continuata illustribus aliquot funeribus calamitas, quæ inclementer & detrimetose afflixit vicinas quoque aliquot ecclesias, vniuersalem omnino aliquam regni cladem, vel certè horribilem religionis in hac prouincia mutationem videtur portendere. Vt enim de fidelissimo illo Iesu Christi seruo Petro Melio taceam, athleta Christi in profligandis Serueticis furoribus imperterrito semper atq; inuicto: nonne quatuor antè mensibus amisimus decus illud & columnen ecclesiarum nostrarum eximium Paulum Thuri-um Zanthouianæ ecclesiæ Pastorem doctissimum, linguarum artiumq; nobiliorum cognitione illustri præter multos alios conspicuum, poëticaq; facultatis præstantia bis in terris clarissimum? Amisimus paulò ante mensē & Valentinum Hellowæum, Agriensis primum, mox Debreciensis Ecclesiæ doctorem laudatissimum, ingenij prompti acrimonia, iudicij exactissimi grauitate, linguarum peritia virum insignem, dexteritate demum gratiaq; docendi mirifica cunctis amabilem, paucisq; omnino nostrorum hominum postponendum. Taceo Iacobum Thuri-um linguæ præsertim Hebraicæ cognitione præcellentem, Iohannem Olabum Zikzouiensem, Casparem Dancium, ceteraq; salutaria & nobilia ecclesiæ Dei lumina: quos etiam proximis admodum mensibus omnes ereptos tumulauimus. Nunc quasi auctarium funestissimarum illarum cladum accedit mors viri excellentis domini Pastoris nostri, parentis & affinis mei
celebra-

celebratione gratæ & fidelis memoriæ in perpetuum dignissimi, multisq; egregijs & illustribus ornamentorum decoribus, quæ iam hætenus recitare conati fuimus, spectatissimi. Quibus sanè omnibus tristissimis illis quidem documentis ac exemplis iræ & vltionis diuinæ, flagitiosum profanumq; contemptum ministerij sacrosancti, & organorum ipsius eximiorum indignas easq; quotidianas contumelias vexationesq; punientis, quicumque non permouentur, vel prorsus à Deo sunt, prouidentiam omnem & dispensationem diuinam in vindicandis hominum sceleribus furenter in totum abolentes, vel certe stupidi & amentes, vt qui ad omnem sensum pœnarum & animaduersionum diuinarum, quantumuis durarum & atrocium penitus occalluerunt, & inemendabili peruicacia, in sua cæcitate sese obfirmarunt. Scopulo quouis rigidiorum, ferisq; bestijs immaniorum dixerim illum & truculentiorum, quicumq; ad considerationem ærumnarum & calamitatum acerbissimarum, quas in Ecclesijs & Rebuspublicis nostris sine fine grassari & aulescere conspiciamus, non totis visceribus corroborescat, iram Dei sceleribus nostris quæ cumulare in dies pergimus, atrocissimè irritatam contremiscat, & denique ad placandum vera cordis pœnitentia & obsequio liberali Deum, non seriò animum suum, curam, studium & conatum omnem conuertat. Expergiscamur igitur tandem ex veterno isto securitatis Epicuræ, si quid sapimus, expendamusq; sedulo exempla ista succedenti-

cedentium sibi per tristissimas vices nouorum quotidie
funerum terrifica, quæ nos extimulent ad debitam mi-
nisterij reuerentiam, seruorum **I E S V C H R I S T I** dignam æstimationem et religiosam venerationem:
inuitent singulos ad vitæ seriam emendationem, & cor-
rectionem in timore atq; obedientia Domini. Eorundem
tristium & funestorum exemplorum attenta consideratio
excitet cunctos ad ardentem & sollicitam precationem,
qua petamus mala tanta clementer mitigari, reliquias
veræ doctrinæ in cœtibus nostris conseruari cum fidelibus
eiusdem custodibus & propagatoribus, simulq; extrudi
in messem Domini novos operarios, qui in stationem
cum irreparabili Ecclesiæ dispendio nunc euocatorum
succeedentes, copiosum fructum producant in agro Do-
mini fideliter & impigre excolendo. Tu ergo fili Dei
Domine **I E S V C H R I S T E**, Emanuel
dilectissime, preces fidelium tuorum supplices benignio-
ribus tandem oculis quæsumus respice: mitiga **I E S V**
mitissime ærumnas Ecclesiæ tuæ afflictæ & inopis in-
intolerabiles, quæ his in terris exasperantur indies acrius
& calamitosius. Patiaris tandem respirare nos paululum
& conquiescere à tot cladum continuatarum funesta &
lacrymosa mæsticia, solitudinem ecclesiarum tuarum
propius oramus attende: Semen verbi tui sancti conser-
ues inter nos petimus: orbitatemq; tristissimam docentiũ
in Ecclesijs & Scholis nostris propicius considera. Ne
permittas Domine horribiles piorũ conuentuum dissipa-
tiones,

tiones, infinitamq; vastitatem fidelium his in prouincijs
durissimè iam olim vexatis & afflictis effici, sed serua
semper nostris in regionibus aliquos cœtus discentium
atque docentium, teq; veris cultibus & debitis laudi-
bus concelebrantium, à quibus hic & in tota æter-
nitate in sempiternum glorifice-
ris, **A M E N.**

D I X I



EIVSDEM

EIVSDEM EPITAPHI
VM EODEM AVTORE.

Vitus Apollinea celeberrimus arte Ioannes,
Ipso qui Phæbo maior in arte fuit:
Ossa sub hunc tumulum moriens dedit, ista sed amplum
Nominis eximij non tegit urna decus.
Haud contentus erat medicas saluare per artes
Corpora, morborum dum fugat omne genus
Nobilia animis languentibus admouet heros
Pharmaca, quæ succo temperat ambrosio.
Sic gemino veterem medicamine sanat Adamum,
Totus homo ut certam sentiat eger opem.
Felix qui potuit studio peperisse fideli
Doctrinæ tantas interioris opes.
Sed pietas spectata viri, sapientia, candor,
Et morum grauitas & sine labe fides,
Officiūq; bonis vltro impendisse parata
Sedulitas, multum quod celebretur habet.
Pannonis ora fleat, viduata Ecclesia plangat,
Pierijq; gemat mæsta caterua chori.
Occidis heu patriæ decus irreparabile terræ
Occidis, & tecum commoda quanta rapis?
Posteritas meritis te semper honoribus æqua
Condecoret, memori laude per astra vebat.
Salve Vite, nihil mors in te iuris habebit,
Eama tua est obitus nescia Vite, vale..

EPI.

EPITAPHIUM CLARIS-
SIMI VIRI PAULI THURI
LINGVARVM, ARTIVM, ET
tices laude præstantissimi, defuncti quinto
Nonas Decemb. 1574.

ΕΝΘΑΔΕ Μυσάων κλέθ' ἄφθιτον ἄρτιεπειῶν
κῆτο, εἰλης πατρίδ' Ἰσοπέσιθ' σέφανος:
Θόριθ' ὠκυμόρῳ δαγὰτ' βεβολημύθ' ἰῶ:
κῆνθ' ἅμα καὶ χάριτες, κῆνθ' τε περὶδ' εἰς.
Ἄ ἄ περὶδ' εἰς τὸν αἰδὸν ὀλέσθ' ἄμην ἰδὸν:
Δύσμοροι, ἢ σοναχῶν φείσομεν ἢ ἐγὼν;
Ἑλλαδικῆς ἔδανε γλώσσης πολὺ φέρτατον εὐχθ':
Ἄλετο ἑβραϊκῆς κόσμ' ἄρισθ' ὀπῆς.
Ος μάλα καὶ σοφικῆς ἐπέων τ' εἰς ἄκρα βεβήκει,
τεχνῶν ἠδὲ καλῶν ἔργα φέρισον ἔλω.
τῶδ' ἑλιγυφθόγγων παντοῖα μελίσματα ὠδῶν,
φοῖθ' ἔπι κλαρίαις ἴζεπόνησεν ἔδραες.
τῶν μέγα παιονίης κῆθ' καὶ χάσμα τέτυκτο,
ἀλλὰ θανῶν ὀπιθερ δάκρυα λυγρὰ λίπε,
δάκρυα λυγρὰ λιπῶν, πένθοσ' ἄλίσσον ἔνωρσε
τῆ πατρίδι, ἀλόχῳ, παισὶ, εἰλοισθ' ἑτάροισ.
οὐδ' ὁ φοβησάμενθ' συγερῶν κακὰ μῆδεα θόρηων:
Ἀθανάτων ἐχάση δέσκελα ἔργα ἰδῶν.
Ἄρα ἐπισκμῶν περικαλλέα δέξαο πρόσφρων,
κῆθ' ἔπι θανάτῳ ἄσφαλις ἀμφαγαπῶν.
οὐδὲν κτῆμα πέλει σερεώτερον ἄλλο βροτοῖσιν:
τῶδ' ὀδὸν εὐφραδέως δέξερ ὁ θρηιάδης.

I 3

EPITA.

EPITAPHIUM VALEN-

II HELLOPOEI, VIRI INGE-

nis, erudita doctrina, pietate ac humanitate ex-
cellentis, fratris ac popularis dulcissi-
mi, tertio Martij defuncti,

1 5 7 5.

INuida quem patriæ rapuerunt fata Valentem,
Pannonici decus soli:

Tu sparsas lacerata comas Ecclesia plange:

Luge fidelium chorus.

Occidit heu nostræ vates clarissimus oræ:

Cætus sacer vatuum gemat.

Occidit & nimium miserando tempore, multis

Raptis Dei præconibus,

Dogmata qui vnanimes passim sacrata sonabant:

Christi potentes Spiritu.

MElius inuicta superans virtute quiescit

Petrus potens lingua, fide.

THurius & summis doctrinæ dotibus auctus,

Paulus tribus linguis vicens.

Agria Pastorem te iam gemit inclyta fidum:

Fido celebrans pectore

Suspiciensq; tuæ modulamina dulcia lingue,

Votis cupit fugacibus.

Vrbs Debrecina pari te luctu plorat ademptum,

Vix dum satis te cognitum.

Vsque

Vsque dolens querulo refugit solatia planctu:

Te flet iuuentus, flent senes.

Nos quoque docte Valens te lamentamur amici,

Coniux suis cum liberis.


Dulcisonis sed tu solitos concentibus hymnos

Misces beatorum choris.

Clarus & astrigero pia gaudia carpis Olympo:

Sanctis parata gaudia.


Basilus Fabricius pijs amicorum coniun-
ctissimorum manibus mæstus multis
cum lacrymis dedicabat.



Epistola ad Romanos
Ite salutem in domino sempiternam
vobis et omnibus qui diligunt
deum et eius legem
Dilectionis sed in salutem
et gloriam
Ite salutem in domino sempiternam
vobis et omnibus qui diligunt
deum et eius legem
Dilectionis sed in salutem
et gloriam

Paulus Fabricius p[er] amicum
et discipulum meum
cum laetitia salutem





VEEGE.